

Thobias Coberus
‘Sol Marcus Curtius
sive Φιλοπάτρις’

Tragoedia
(1595)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
November 2006

Argumentum Tragoediae

Cum anno urbis conditae trecentesimo nonagesimo tertio seu motu terrae seu qua via alia forum medium ferme specu vasta collapsum in immensam altitudinem esset et ex ea voragine virulentis vaporibus elevatis, aëre infecto, pestis grassaretur, Q. Servilius Hala ex patriciis et L. Genutius Aventinensis ex plebe secundum Consules, cum priore Magistratu eandem sortem essent experti, vehementer de praesenti et nullius quidem exempli calamitate vel officii ratione fuere occupati. cum vero nec maximis terrae a singulis congestae molibus nec superstitiosa foeminarum promptitudine omnem mundum muliebrem devolventium quidquam esset effectum, tandem ad oracula - duorum Flaminum Dialis et Martialis inopina morte vix non impedita - est itum. quae cum ambiguo responso omnes involvissent, MARCVS CVRTIVS Eques incomparandus vix credenda animi magnitudine pro salute publica se ab infanda voragine absorbendum sponte obtulit; nec stupescendum illud corporis atque animi robur teneris lacrumis validaque rationis reluctantis catapulta infringi sinens, quantum publica calamitas privatum commodum retundere debeat, manifesto ostendit. reductus itaque ad ostium illud Acherontis equo maxime adornato insidens iterum se pro patria devovit; saltuque praecipiti per spissas et caliginosas tenebras irre-meabili semita ad inferos decidens, fulgidas aeternae gloriae faces succendit. quae, quantum publicum commodum praeferrere utilitati privatae virtus velit, satis declarant.

Personae

| | |
|--------------------------|---|
| M. Curtius | Eques Romanus, an. urbis conditae 393. sponte in specum pestiferam foro Romano equo maxime ornato desiliendo amore erga patriam omnium bonorum favorem immortalem meritus. |
| Curtia | mater Curtii |
| Volumnia | sponsa Curtii |
| Q. Servilius Hala | |
| L. Genutius Aventinensis | ambo secundum Consules |
| Pontifex Maximus | |
| Flamen Quirinalis | |
| Salius | |
| Phoebus | Prologus et Oraculum |
| Chorus | civium Romanorum |

Periocha

C ollapsa in urbe Roma hiatu maximo
V orago, nec terra nec auro explebilis,
R uctabat horrida nocens virus lue.
T errentur ergo Consules periculo
I niquiore. sed manu atque pectore
V alens potenti Marcus ille Curtius,
S ubiens specum et necem, expiat Rempubicam.

Prologus

Phoebus

Inops et exul augur ille Cynthius
Plancturus infortunii mei improbam
Tyrannidem adsum, Spectatores optimi
Meique turba fati acerbi particeps,
Dum, me Getarum sauciato acynace, 5
Vos ipsimet misere consauciamini.
Num enim sonora Phocidos tesqua et iuga
Parnassia aut Phaselis et meae imminens
Mons Cynthus insulae, Claros, Donysa cum
Cyrrrha atque Delphi maximi olim oraculis 10
Adhuc suam tuentur inviolabili
Autoritatem relligione pristinam?
Vel anne equestris ordinis flos Martio
Retudit ense Turcicos acinaces,
Vti collossicola Rhodus vel unica 15
Tot ex meis quondam insulis servata sit?
Proscriptus ergo tot meis ex regiis
una sorores extuli mecum novem;
Illisque barbariem locis reliquimus,
Barbariem atroci adunitam Tyrannidi, 20
Qua porcus excandescit ille Turcicus

Et adhuc adauctae grunnit irae murmure,
 Vt horrida rumor boat formidine.
 Etenim, licet furore tactus infero
 Latro ille Graium regna subiugaverit 25
 Sibi, perempto sancto Orientis alite,
 Etsi sagittis Parthicis velocior
 Tigris Getae formidet improbas manus
 Cunctisque contremiscat altus ostiis
 Nilus, Phari superbus olim lampade, 30
 Et ipse quamvis Syrtium instabilis furor
 Furore frendeat subactus Turcico,
 Tamen vel his Europae ab ultimis iugis,
 Ad quae fluenta sancta derivavimus
 Ego et sorores, trux echidna nititur 35
 Et, heu, valenti anhelat usque robore
 Sine fine proturbare rursus exulem
 Me cum miseris sororibus. nam lurido
 Tibiscus amne Pannonas iam haurit suos,
 Et Ister atro lividus cruore aquis 40
 Stupescit imis, tela et arma Turcici
 Latronis innocuis adhuc spumare tam
 Musarum alumnis quam meis cohortibus;
 Quas armigero prognata bellax filia
 Tuiscone afflictæ sorori sedulo 45
 Submittit, ut ferocia hostis barbari ac
 Commune flagitat periculum. et quidem
 Vidi ipse grande robur agglomerarier,
 Manu et sarissas convehi densissima
 Turmisque vim cataphractorum radiantibus 50
 Ad vindicandum Pannonem ablegarier;
 Vidi et perennis vestiendum carminis
 Iussi cothurno. ast haud sinunt oracula
 Tantum advenae vim et robur esse militis
 Vel et catervam, ut Africae, Europae, Asidos 55
 Totius unitam rabiem latura sit.
 Terrenus ergo PHOEBVS edixit sacro
 SENATV, ut omnis auro et opibus praepotens,
 Illustriore vel propagine inclytus,
 Germanicis refulgeat virtutibus 60
 Sponte et lubens dulcisque amore patriae
 Φιλοπάτριδος fungatur officio volens,
 Quem hac actione nos repraesentabimus.
 Etenim, ut sciatis, quid boni, quid commodi
 Tandem a periculis rediturum bellicis 65
 Iis siet, qui amore patriae inclyto
 Semet ferocientibus opponent Getis

Metuque pressos liberabunt Hungaros,
 Productus in Theatrum hic MARCVS CVRTIVS
 Post mille nongentos et quinquies decem ac 70
 Vnum annum honore maximo atque posthumo
 Encomio et decore contestabitur.
 Qui enim aut paterni honore privatus rogi
 Computruisset esca vilis vermium
 Vel inter imae busta multitudinis 75
 Ingloriis absumptus esset ignibus,
 Is saltu in Orcum se iaciens spontaneo
 Et pro salute patriae se devovens,
 Tot, en, tot innumeris superstes seculis
 Honore vivet posthumo et praeconio. 80
 Et euge, flos Germaniae bellissime,
 Reclusa inhiat vorago regno patrio:
 Qua tibi perenne compares encomium.
 Vrbs ROMA, chara PATRIAE est Respublica;
 FORVM est SOLVM *Pannoniae* fertilissimum; 85
 VORAGO, *praedo* TVRCICVS, tetri HALITVS;
 CVNCTATIO *nostra*, *Turci* FESTINATIO,
 Quae plurimos mihi sacratos inquinat;
 Qui INSILIAT ultro patriae se devovens,
 GERMANIAE IVVENTVS est, quae nec dato 90
 Stipendio nec aere militaverit.
 SPONSA atque MATER est VOLVPTAS PATRIAE,
 Quae non parum negotii faciet probo
 Philopatridi; DVO CONSVLES Germaniae
 PROCERES et *Imperii Columnam* denotant, 95
 Vt alter iste PONTIFEX fusas PRECES
 GEMITVSQVE suppressae innuit plebeculae.
 Huius periclitantis ergo si vices
 Subiveris, Germaniae fortissima
 Pubes, nec horrida specu terreberere, 100
 Quin aemulatione laudatissima
 Celerrimo huic subire gestias equo,
 Tunc voveo, promitto, assero, aio, spondeo
 Honore posthumo, perenni nominis
 Splendore temet aemulam fore *Curtio*, 105
 Nec ista pro patria subeunda pericula
 Oblivione conterenda ulla prius,
 Quam laurus haec invisita sit mihi, aut chelys
 Sonora magnis plectra factis deneget,
 Vel arcus iste, quo Chrysem vatem meum 110
 Et Astynomen natam ipsius sum ultus probe,
 Tam peste Graium plectens pervicaciam
 Quam eos sagittis configens flagrantibus,

Nervo remisso collabescet languidus.

Sed eo, ut sub ara ista recondet Romuli, 115

Mox consulendus a Quirini Flamine,

Qui oraculi scitabitur mysterium

Implendum amore patriae *Marci Curtii*.

Vos interim, si amor quis est Philopatridos,

Adeste linguis atque animis faventibus. 120

<Actus primus>

Q. Servilius Hala secundum Consul

Ser. Eheu, nimis miseram natam me Consule
Romam: meisne, Fata, reservastis fascibus
Infaustae acerbum funus urbis et ultimum
Casum? quid ergo, Iuppiter Feretrie?
O Iuppiter, qui iisdem auspiciis, urbs quibus 125
Haec, constitutus a parente Romulo,
Quem nominamus vere et huius urbis et
Sacri Imperii Statorem, an eius incolas
Civesque nunc ab aris atque caeteris
Templis Deorum urbisque tectis omnibus 130
Arcebis? et patres Senatus, patriae
Robur Quirites atque cives caeteros,
Virtutis almae foedere et firmissima
Inter se societate coniunctissimos,
Mactabis invisam peremptos hac lue? 135
Quam tetra hiantibus vorago faucibus
Eruclat in medio foro, in medio foro,
Quo saevius dirae est luis contagium
Et incolis et urbi inevitabile.
Nam Luna plenis cornibus quater suum 140
Explevit orbem et hunc simul retexuit
quater tenuata, dum voragine horrida,
Foro medio fere specu vastissima
Collapso, ad atri furva Ditis atria
Immensam in altitudinem scissa est humus, 145
Tam spissa et inferna aërem caligine
Obnubilans, quam eundem ignavis aestibus
Incendiis secuturisque praeparans.
Haec strage primo avium canumque maxima
Deprensa noxii halitus potentia est; 150
Hinc venit ad miseros colonos pestis, heu,
Graviore damno et in superbis aedibus
Dominatur urbis, ut Stygio et dirissimo
Ambusta torreantur igne viscera
Ustaque fathiscant. indicio est enim rubor 155
Et ductus igne anhelitus, lingua aspera
Tepidisque ventis ora hiantia, dum graves
Captantur halitus tetra ex voragine,
Ex qua inficiuntur aethera, et foetoribus

Vitiantur aerae et late agunt contagia, 160
 Quae nec celeri remigio alarum concitus
 Devitet ales, atram transvolans specum.
 Res mira, sed miserabilis, catastrophe
 Abominanda et, heu, nimis execrabili.
 Nam tanta ab infero amne virulentia 165
 Tantaque malignitatis, heu, regurgitat
 Incendium, ut, licet cubent in frigida
 Prostrata terra corpora aegra, non tamen
 Fiant humo gelida. ast humus de corpore 170
 Fervescat accenso perusta pectore.
 Nec ullus his moderator est, dum atrox lues
 Erumpit ipsos in medentes, quos malo
 Facit magis vicinitas obnoxios.
 Nihil est enim utile. ergo et indulgent sibi
 Passimque Tybridis recumbunt alveo et 175
 Aquarum inhaerent ductibus; nec ignea
 Sitis tamen prius quam vita extinguitur
 Bibendo, sic ut, cum haud queant consurgere
 Morbo graves, aquae immoriantur Albulae,
 Quam flammea fervens siti exhaurit tamen 180
 Vitamque pro infanda siti paciscitur.
 Sed interim voraginis tetrae improbam
 Abyssum, inauspicato apertam sidere,
 Nulla ratione consolidandam suspicor:
 Si quid labore, sumptu et opere sedulo 185
 Conata tota sit lubens Respublica,
 Recordor et vigili omnia mente pondero.
 Etenim Gigantes tot premendas fulmine
 Vix contulisse montium moles reor,
 Quot omnis omni robore civium cohors 190
 Revolvit unitis ad antrum viribus,
 Quod in foro foetore squallet noxio.
 Nec eruenda ullis fodinis censeo
 Tot aeris infecti et facti talenta, quot
 Charybdis insatiabilis deglutiit, 195
 Cunctis amore patriae offerentibus
 Monilia, spintheres, catenas, annulos,
 Torques, inaures, flammea, armillas, graves
 Auro calanticas et alia regiis
 Mundo muliebri comparata sumptibus. 200
 Heri ergo maximum sacrorum Praesidem
 Numae volumina indubitata oraculis
 Consulere iussi et hostiis solennibus
 Admissa plebis expiare crimina,
 Si mitigata fors an accensa Deum 205

Ira voraginis replendae occasio
 Pateret e doctis monitis Apollinis;
 Qui dormienti astare somnio mihi
 Specumque totam unius iniectu lyrae
 Sonorae et aureae explevisse visus est. 210
 Age ito, Lictor, et forensis ocyus
 Invisa contemplator antra gurgitis,
 Num forte paullum pressior resederit.
 Hinc ad Genutium properato Consulem
 Et, in Capitolio ut me conveniat, roga. 215
 Sed euge, quem procul advenire conspicio?
 Ni fallor, est? et ipse quidem est Genutius,
 Lictore tantum concomitatus unico.
 Recede Lictor: optime hic manebimus.

L. Genutius Avent., Q. Servilius Hala Coss.

Gen. Ni flebilis, ni luctuosa civium 220
 Et urbis, heu, nimis miseranda calamitas
 Iocum atque risum omnem penitus excluderet,
 Iuvaret aedepol magis quam suaviter
 Ridere coeca hominum omnium molimina
 Subitanea aegritudine collabentia, 225
 Cum vix supremis nixibus sublata sunt.
 Id Consulatus hic meus mihi suggerit
 Fascesque tanta traditi violentia
 Tot acribusque velitationibus
 Patriciis emancipati, civibus 230
 Tam quam Tribunis plebis extorquentibus.
 Ser. Vtrique cassi lumine: his subeuntibus
 Immane promptis sponte onus laboribus,
 Illis iugum hisce denegantibus, qui idem
 Contentione flagitabant maxima. 235
 Nam si quis has sellas curules et togas
 Sidonide concha fulgurantes sublevet,
 Felicitatis umbra opertas sentiet
 Latere subtus calamitates, quas sua
 Nec Irus ipse sorte commutaret.

Gen. at 240
 Tunc, cum ante quadriennium ille Sextius,
 Ex plebe primus auctus his honoribus,
 A dignitate iam remotus annua
 Mihi officium resignarat, Dii, quam arduus,
 Sella curuli, purpurae et limbo toga 245
 Praetexta, ad aedes digrediebar, publicis

- Apparitoribus vix semoventibus
 Turbam Clientum, prospera acclamantium
 Quaeque et secunda pollicentium omnia,
 Sed omine, ut patet, nimis praepostero. 250
- Ser. Ita arbitror. nam apparitor vel unicus
 Omnes clientes, quos reliquit Atropes
 Furor nefandus, ingruentes arceat,
 Vt solitudo tristis urbis arguit.
- Gen. Bis functus hoc sum officio, bisque lurido 255
 Comitata pestis ense fasces est meos,
 Nec dignitatem nec secures aestimans
 Quicquam; quod enecti ministri sat docent,
 Senis reductis ad duos superstites,
 Quorum alter aeger ipse concidit quoque. 260
- Ser. Quid audio?
 Gen. quis hic loquitur?
 Ser. Servilius.
 Collega, salve.
- Gen. salvus ipse sis quoque,
 Mi Quinte, salva patria, quae, at heu, meo
 Tuoque Consulatu ultimum Vale
 Videtur irrogasse.
- Ser. non vereor tamen: 265
 Vt omnis aetas est suo de seculo
 Conquesta, nos quoque, quod queremur, habebimus,
 Grassante pestilentiae contagio
 Et insolitis quidem asperatae faucibus.
- Gen. Idipsum, amice, sollicitum me maxime 270
 Tenet animumque percutit formidine.
 Nam, etsi triennio ante Consulibus simul
 Te meque grassaretur immani lues
 Furore pestilens, tamen non in foro
 Disrupto hiabat atra Ditis ianua, 275
 Cocyti ad antra devehens miserum gregem,
 Nulla saburra, nullo et auro explebilis.
 Quod si meis nocere me urbi fascibus
 Plebisve Consulatum obesse noscerem,
 Palam lubensque sarcinae abdicare me 280
 Et nuncium remittere honori esset animus.
- Ser. Furente tempestate si rector ratem
 Permittat huic undisque saevientibus,
 Sero hic et illic fluctuantes turbido
 Iam naufragos conquirit asseres freto. 285
 Si in hasce turbas incidimus, amice, mi
 Collega, non nos esse transfugas decet,

Sed et manu et gubernaclo eluctarier
 Diramque Caurorum procellam infringere,
 Donec soporato ingruente turbine 290
 Statione tuta collocetur publicae
 Rei carina, nostrae fidei credita.
 Et iam quidem sunt consulenda oracula,
 Vt Pontifex admonitus a me sedulo est.
 Eamus ergo, si placet, ad Feretrii 295
 Delubra patris nec Capitolini sacro
 Honore transeamus aedem, si placet.
 Gen. Quantum ipse te sum maior annis, Quinte mi,
 Tantum genere es superior et sapientia.
 Dii dent, ut hocce numine infortunium 300
 Tollamus aequo, ne nefastus posteris
 Sit Consulatus iste noster omnibus.
 Praeite, Lictores, quot adhuc superstites
 Quirinus et mitis reliquit Iuppiter.

Chorus

Ch. O potens magni soboles Gradivi, 305
 Dive Romanae Stator urbis, axe,
 Romule, aurato super astra vecte,
 Ecquid in coelo residens ocellis
 Respicias pressos placidis Quirites?
 An, velut sortes variis protervae 310
 Arguunt damnis, tibi separato
 Desiit curae tuus esse civis?
 Nam nec accrevit numerosus annis
 Ordo maturis, nec oloris alba
 Traiicit fato properante penna 315
 Tempora exactis spaciis iuventae.
 Et tamen, sanctae Pater alme Romae,
 Quot procelloso reminiscor aestu
 Turbines Cauris rabidos subortos,
 Transtra quassantes miserae carinae, 320
 Quae vehit nostram, decus orbis, urbem.
 Pestis afflavit violenta cunas,
 Consule ambusto, nec arata fruges
 Creditas tellus retulit benignae
 Vsa faecundo Cereris canistro, 325
 Ne fame exuccam violaret urbem
 Turpis infesta Nemesis Quiritum.
 Anxur hostiles meditatus ictus
 Cesserat Volscis repetendus acri.

Bruma erat cunctis prope congelatis, 330
 Hinc decennali duce vel Camillo
 Pressimus Veios acie; at triumphus
 Veniit nostro nimium cruore.
 Victi erant Volsci, sed acerbior
 Vltima vindicta est Ceres enecatos. 335
 Tunc quoque irato iaculatus arcu
 Augur accidit Deus ille nervos.
 Exul hinc ingens abiit Camillus,
 Sed vacans culpa; quo abeunte magnam
 Faustitas traxit Latii ruinam. 340
 Galliae tesquis etenim relictis
 Invias tandem superarat Alpes
 Trux Senon, victor pariter Quiritum
 Alliae implerat pavida antra strage,
 Et salus captae vel ab unico urbis 345
 Ansere oppressis canibus pependit.
 Manlio hostiles remouente turmas,
 Manlio hostiles agitante turbas,
 Arsit irati furor inde civis
 Mutuis torrens sua corda flammis; 350
 Inde Lernaem canos igne virus
 Sparsit accenso sitiens; quod acri
 Pube confertam tenuavit urbem.
 Consul infaustis hodiernus Hala
 Fascibus rexit morientum acervos, 355
 Peste luctantem moderatus urbem.
 Sed quid infando foret, ah Quirine
 Summe, portento rabiosius vel
 Dirius, totam quod obumbrat urbem?
 Nam quis immenso patuisse hiatu 360
 Ianuam vidit Phlegethontis atri
 Et forum vastis medium cavernis
 Manibus lucem prius elocasse?
 Quis tuas undis Acherontis arces
 Romuli impostas Stygii putasset, 365
 Vt specus furvi docet ater Orci,
 Vnde nigrantem glomerat favillam
 Et venenato liquidas vapore
 Turbo captandas premit udus auras?
 Saevit immani hinc rabies furore 370
 Pestilens, stricto Nemesisque passim
 Ense grassatur iugulans parentes
 Spemque praecidens sobolis relictas.
 Ergo et orbatu patriae et salutis
 Fune pars claudunt animas, timorem 375

Mortis iniectu laquei fugantes,
 Fata poscentes venientia ultro.
 Iamque non bustis tumulantur ullis
 Peste confecti; nec enim cavernae
 Portae anhelantis capiunt veneni 380
 Halitu afflatos, inhumata membra
 Inquinant aures vitio. aut in altos
 Dantur indotata rogos; et ipsis
 De rogis pugnant alieni acervo
 Ignis arsuri, propriisque desunt 385
 Lacrumae natis miserae parentis,
 Manibus dantur nec amica spretis
 Vota deflendis: animae parentum
 Atque natorum, iuvenum senumque
 Moestae et orbatae gemitu vagantur, 390
 Nec locus praesto est tumulis, nec arbor
 Sufficit structis sine honore bustis.
 O Pater magnae trabeate Romae,
 Si tuas sancte veneramur aras,
 Nec patrem temet pudet esse nostri, 395
 Aut specum inferni Stygiam barathri
 Ostium obdura vel adempta diro
 Agmine afflatu, Pater alme, redde;
 Aut iisdem omnes pariter sepulchris
 Conde mergendos avidum sub Orcum 400
 Fauce ad inferni canis antra civis,
 Ossa quod volvit, carie peresi.
 Sed ambo Consules comitatu parvulo -
 Sic fata, sic volunt Averni haec ostia -
 Patris Quirini oraculum aut Apollinis 405
 Responsa consulturi abeunt: properemus, ut
 Vna Diis tendamus supplices manus.

<Actus secundus>

Pontifex Maximus, Salius

- Pont. Legi, relegi, evolvi, quicquid uspiam
Dictante Diva Aegeia, quae adhuc sacro
In valle Aricina praeest fonti, Numa 410
Pompilius augur ille summus Cynthii
Iam olim sacris voluminibus recondidit.
Sed quo anxio sollicitudine abditum
Perscrutor urgentis mali mysterium,
Eo magis magisque tanta exerceor 415
Variorum oraculorum incertitudine,
Vt assiduis nutans arundo flatibus
Incertiore fluctuare vi haud queat.
Quo ego suprema iactor aegritudine,
Quam plebis exacerbat interitus gravis 420
Stragesque civium, heu mihi, inevitabilis.
Adhuc enim intolerabili viru specus
Eruclat inferis mephitim faucibus,
Quibus Orcus, heu, miserae inhiat plebeculae.
Nisi ergo pleno civium piamine 425
Hodierna sciscitatio successerit,
Vereor, ne humus ampliore disrupta specu
Vel omnium absorptura civium domos
Fathiscat et vivos simul deglutiat
Vel improba peremptos hac luce incolas 430
Discrimine haud magno sub Orcum devehat.
Ito, Sali, praesto esse Flaminem iube.
- Sal. Dialis occubuit, Pater. vis Martium?
- Pont. Gravis Deorum exarsit ira, Nate mi,
Vix mitiganda hecatombae, opinor, hostiis, 435
Cum vel Diespiter sui usum Flaminis
In tempore hoc misero sacris subtraxerit.
Ergo Gradivi Martialem mox adi
Et, ut peractis adsit omnibus, iube,
Priusquam Olympo aurora secedat; vola. 440
Ancilia interim alligate caeteri
Sacrasque Vestae ab aede flammis promite.
Ego interim fibras et exta recentia
Rimavero. euge atat, quid hoc? nigerrimo
Hostia cruore stillat undique extaque, 445
Vt ense decussatim fere resecta sunt,

Densumque tabum inauspicato ut omine
Concrevit, hic bidentis ad praecordia.

Quis hic anhelis eiulat gemitibus? hem,
Patrem patratum concidisse cerno: vos 450
Succurrite ocyus. quid expavescitis?

Quid hocce detrectatis officii? papae,
Iam dirigescit ultimumque aegre trahens
Susprium Charontis intravit ratem, 455

Et in manu remansit inconsumpta pars
Thuris: nimium, o, crudele, noxia Atropos,
Devotionis hoc reponis praemium.

Sed allevate vos cadaver hocce, ne
Delubra polluantur alma Delii.
Et hem, absque Flamine illic Salius advolat. 460

Sal. Proh Lucetie, quam nemini esse cognitum
Potest, ratum vel esse, quomodo siet
Corpus se habiturum, non ad annum dico, sed
Ad vesperum quoque unius dieculae!

Vel Martialis ille Flamen, ut cito, 465
Vah, quam cito, tam aetate vernans vividi
Succique plenus, quam officio, re, honoribus
Opibusque abundans haec reliquit omnia?

Pont. Quae deseruisse Flaminem quereris, Sali?
Vrbem reliquit forsitan pestis metu? 470

Sal. Imo ruinae urbis metu occubuit, Pater,
Nec competens tulit pietatis praemium.

Pont. Quin fare, verborum hoc remoto fascino,
Cur non vocatus advolaverit illico.

Sal. Forum hacce transeunti visus est mihi 475
Ori incubare semimortuus specus,
Quod ex Acheronte ructat in medio foro
Quavis cicuta noxiores halitus.

Pont. Pater Gradive, quid? quid, heu mihi, audio?
Tuumne peste concidisse Flaminem? 480

Sal. Ita est. etenim voraginem accuratius
Propiorque lustraturus afflatu Stygis
Et virulentiore tactus turbine

Conciderat, ut mihi sciscitanti rettulit
Genutius, collegam, ut arbitror, ad Iovis 485
Comitatus aedem, unde adfuturos huc puto.

Pont. Scio quidem. sed heu, nefastus hic dies
Nece Martialis hac inopina Flaminis
Iam redditus patris Quirini vix sacra
Patietur illibata templo indicere. 490

Sal. Atqui, Pater, necessitas hoc ultima
Exposcit, urget atque summe postulat,

| | | |
|-------|--|-----|
| | Vt oppleatur atra Ditis inferi | |
| | Vorago, ne, insatiabili absumptis gula | |
| | Cunctis Quiritibus, nequicquam oraculo | 495 |
| | Consulto ademptis exciere manibus | |
| | Nitamur umbras. cuncti enim voragine | |
| | Hiante polluantur omnino dies. | |
| | Vidi ipse proiecta ante sacros cadavera | |
| | Postes et ante ipsas, ut invidiosius | 500 |
| | Lethum foret, aras; et, veniam dato, Pater, | |
| | Adhuc serena praestolemur tempora? | |
| Pont. | Age, acquiesco: abi et Quirini Flaminem | |
| | Mox evoca. | |
| Sal. | evocavi iam, Pater, | |
| | Factum mihi obvium. et quidem illum conspikor, | 505 |
| | Ni fallor, hac Capitolium conscendere. | |
| Pont. | Ergo apparate, quae Quirini postulat | |
| | Sacrum, ministri. tu, Sali, abluere hostiam, | |
| | Et Romulo et summo offerendam Apollini. | |

Flamen Quirini, Pontifex Maximus, Vox Oraculi

| | | |
|-------|---|-----|
| Flam. | Cassam atque inanem sanctionem Flaminum, | 510 |
| | Qua maxime arcebamur a locis, ubi | |
| | Exucca bustis concremantur ossa, ne | |
| | Feralibus Quirinus excandesceret | |
| | Pollutus umbris, heu, doleo, fleo, lugeo | |
| | Nunc redditam esse. sed, Pater Quirine, tu, | 515 |
| | Tu mitior, non, ut precor, tot, heu, rogis | |
| | Violata sacra nobis imputaveris, | |
| | Cum te Statore maximae urbis inscio et | |
| | Invito eandem saeva Parca sic premat, | |
| | Sic ense faedet inquieto, ut omnibus | 520 |
| | Viis, rogis bustisque collucentibus | |
| | Vrbs tota nil nisi rogas, nihil nisi | |
| | Commune bustum sit miserorum civium. | |
| | Quot enim vel hac deambulatiuncula | |
| | Pyrae nefastae, luridae cadaverum | 525 |
| | Strues mihi invito obtrusae sint, haud quidem | |
| | Sine ingruente nunc recordor nausea. | |
| | Tum autem, quid atra foedius voragine? | |
| | Quae, ni Deum favore glutinabitur, | |
| | Vix strage civium coalescet omnium. | 530 |
| | Foetore spurco quidve virulentius? | |
| | Quem flammei palus Phlegethontis evomit, | |

- Vix vimine Phoebi corrigendum thureo.
Sed in mora sum, ut cerno, summo Praesidi.
- Pont. Afferto verbenas, Sali; vos caeteri, 535
Vti potestis, quando, ut vultis, haud licet,
Piamen aedis expedite, singula
huc collocanda rite: Flamen, euge, adest.
- Flam. Salveto, salva patria urbe, Pontifex.
- Pont. Eo rediit res, Flamen, ut nec patria 540
Salva neque Flamine ullo adhuc superstite
Te praeter unum nec solenni oraculum
De eventibus pro more sciscitarier
Queamus. euge, Flamen, molucrum accipe,
Vt halet ignis Arrabis odoribus, 545
Arasque festas imbuat nova victima,
Quirini Apollinisque grata oraculo.
- Flam. Et rite collocavero omnia et simul
Spondere prospera omnia haud dubito, Pater,
Benignitate sat Quirini cognita. 550
Tu consulas modo Deorum oracula.
- Pont. Propago Martis inclyti fortissima,
Quirine, qui tellure, Olympo et aethere
Fausto simul fragore gestientibus
Sublatus ad poli corusca es atria 555
Et hancce rursus urbem amicis alloqui
Dignatus es, licet Deus, solatiis,
Cum Iulium illum Proculum repente de
Domo aetherea emicans ita allocutus es:
'Abito, nuncians Quiritibus meis: 560
Ita velle stellifero supremos coelites
Throno, Senatusconsulto inviolabili,
Vt haec mea Roma sit caput orbis unicum.
Proin' colant rem militarem sedulo
Sciantque et id suis relinquunt posteris: 565
Nullas opes hominum resistere inclytis
Armis Quiritum posse.' non armis quidem,
Pater Quirine, sed lui immanissimae
Halanti ab infero lacu succumbimus
Nec mortem inertem armis retundimus tuis. 570
Ergo, Pater, dato augurium aut oraculum,
Num finis instet urbi et Imperio tuo,
Vel qua cavernoso saburra hiatui
Tandem in foro obturemus obscoenum ostium,
Vt exulet lues, benigno et omine 575
Resarciatur haec ruina civium.
- Flam. Papae, ut repente coquassantur omnia;
Et ara contremiscit adventu Dei,

| | | |
|-------|---|-----|
| | Mugitque reclusis adytis cortina. sed | |
| | Quanto micat serenus aether fulgure | 580 |
| | Tonitruque maximo ingeminatur impetu! | |
| Pont. | Agnosco fulmina haec secunda. Maxime | |
| | Vrbis Stator, generis miserere supplicis. | |
| Vox | <i>Mei Quirites, frustra iunctis viribus,</i> | |
| | <i>Dum quisque pro se grandem acervum coniicit,</i> | 585 |
| | <i>Voraginem hanc replere concupiscitis.</i> | |
| | <i>Quo plurimum potestis, illud huic loco</i> | |
| | <i>Dicite, si perenni fasces patrios</i> | |
| | <i>Vultis fruisi annorum et aurae commodo.</i> | |

Chorus

| | | |
|-----|--------------------------------------|-----|
| Ch. | Et quo, Quirine Maxime, | 590 |
| | Quo plurimum ergo possumus? | |
| | Quid ambigente oraculo, | |
| | Apollo, nosmet implicas? | |
| | Aurum omne conditum est specu, | |
| | Congesta terra sedulo est. | 595 |
| | Sed aes et omne turgidis | |
| | Absorpsit illa faucibus, | |
| | Vel ad profunda Tartara | |
| | Scabro trahens ieunio. | |
| | Nec praeter arma, Romulo | 600 |
| | Iubente patre, fortiter | |
| | Adhuc retenta, nil fere | |
| | Relictum est; quae si in hanc specum | |
| | Conferre, Apollo, iusseris, | |
| | Inermis urbs inermibus | 605 |
| | Frustra tueri civibus | |
| | Contra imminentium hostium | |
| | Vna templa Divorum volet. | |
| | Quod illud ergo plurimum | |
| | Est dedicandum hiatus? | 610 |
| | Vel quid? quid est, quod invidet | |
| | Specus nefanda civibus | |
| | Furvoque destinaverit, | |
| | Tot, heu, peremptis lurido | |
| | Veneno civibus Stygis? | 615 |
| | Quis Oedipus, quis has plicas | |
| | Vel Tiresias resolverit, | |
| | Aenigmatum reconditam | |
| | Vim proferens sagaciter? | |
| | Nec hoc salutis invium | 620 |

Iter licebit ingredi,
 Hoc intricatum oraculo.
 Nam dum haesitantes asperas
 Salebras has inquirimus,
 Nihil caverna secius 625
 Atro revolvit gutture
 Vel omni virulentius
 Veneno anhelitus chaos,
 Quod inquinatis aërem
 Depravat omnem sordibus 630
 Et ima cordis inferi
 Perurit ignis aestibus.
 Vel ergo, Phoebe, reddito
 Manifestiore oraculum
 Sententia vel explica 635
 Obscuriora aenigmata,
 Vt anceps fluctuatio
 Errore corda lancinans
 Beatiore desinat
 Et terminetur exitu. 640
 Sed hem, quid illic *Curtius*,
 Genere atque factis inclytus,
 Magnanimus ille Curtius,
 Sereniorum lumine
 Vultuque laetiorum, quam 645
 Miserandus patriae status
 Et flebilis sors postulat,
 Ceu gestiundo prosilit?
 Ad Consules, ut arbitror,
 Se conferens. quin subsequar 650
 Et clanculum auscultavero,
 Si fors an illi Delius
 Oraculi recluserit
 Latentia haec aenigmata,
 Quae impleri eo specum volunt, 655
 Quo plurimum omnes possumus.

<Actus tertius>

M. Curtius Eques, Q. Servilius, L. Genutius Coss. et Pontifex Maximus

| | | |
|-------|---|-----|
| Curt. | Proh Iuppiter Feretrie, qui Capitolia In arce Tarpaeisque celsus collibus Residens tueris omne Romuli patris Imperium et urbem, queis hecatombes hostiis | 660 |
| | Thurisve acerra quave promptitudine Tuis reponam aris meritisque reddidero Aequale tantis? quibus amatae patriae Et redditurus sum vices et debitum | |
| | Omne exoluturus; popularibus erutus Simul tenebris, in perenni gloriae Fulgore constitutus atque caeteros Inter, quibus quoque ipso pacta funere Aeterna felix et beata memoria est, | 665 |
| | Ego praedicabor et decore posthumo Vna annumerabor inclytis heroibus, Qui, ut inter astra Solis emicat iubar, Perenni fulgurant decore nominis. Diine tantum ardorem inurunt mentibus? | 670 |
| | An cuique fit Deus pietas in patriam? Et antrum et Orcum iam mihi dudum invadere Mens agitat acris nec placida velut prius Quiete contenta est, dum video, quam ferox Conditio rerum patriam urbem exerceat. | 675 |
| | Etenim soluti peste et absorpti inferae Specus barathro procubuere plurimi Cives; ut infanda loca solitudine Late sileant, nunc ancipiti hoc oraculo Dubitant Quirites, plebs et ipsi Consules. | 680 |
| | Sed ego, quid ambigam? cui haec sententia Surgit animo: VIRTVTEM ET ARMA patriae Accirier specui offerenda oraculo. Si ergo mihi, quae posco, concedent patres - Nam fama facti sat mihi est -, absorptus hac Voragine ultro dedicabo publicae | 685 |
| | Saluti et urbi, quae Quirinus postulat. Ito, minister, eque stirpe <i>Curtia</i> Adesse quempiam, qui oraculi explicet Abstrusiora nunciato aenigmata. | 690 |
| | Ergon' Quirites Augurum ac Aruspicum | 695 |

| | | |
|-------|--|-----|
| | Fungentur officio? suisque victimis Admissa plebis et patrum expiaverint? Solosque derivaverint in se minas Deorum? obortas atque flammam sopient Tam Marte quam fame aut lue saevientibus? | 700 |
| | Quirine, es autor? autor es. sic pectora, Amore patriae aestuantia, denotant, Dolorque, motu lancinans cor igneo Ob patriae adversas vices, quas pestilens Gravi exacerbat infortunio specus. | 705 |
| | Sed euge, Consules ibi ambo prodeunt; Cesso obviam ire. salva sit Respublica, Et vos simul salvete, Patres patriae. | |
| Ser. | Dii dent, quod optas, patriae et simul tibi, Dilecte <i>Curti</i> . audimus et votis quidem Congratulamur omnibus te oraculi Modum explicandi vel per augurium vel et Per somnium aut alia via edoctum probe Callere. ne ergo patriae isto tempore Duro deesse velis, precamur. | 710 |
| Pont. | et nihil | 715 |
| | Quidem reticendo, chare Curti. scis enim, Cum Iuppiter Tito Latino in somniis Sibi displicuisse praesultatorem, ut, nisi Ludi novarentur, periculum fore Minatus esset urbi, at ille veritus, hoc Ne abiret hominum in ora pro ludibrio, Vulgare detrectasse mandatum Iovis, Illi silentium et cunctationem eam Magni stetisse, cum perempto filio Vix ipsemet iratis sit ereptus Diis. | 720 |
| Curt. | Celabo nil, quod interesse publicae Rei putabo. non enim prurigine Caduci et interituri mox encomii Auram aucupaturus popularem prodii, Sed debitum ut dulcissimae persolverem Patriae stipendium atque oboedientiam. | 730 |
| Gen. | Macte pietate, <i>Curti</i> , tanta in patriam Reconditumque prome sensum oraculi. | |
| Curt. | Quo <i>plurimum</i> Romana gens, Patres, potest, Id huic dicandum hiatui, si publicam Rem posterosque perpetuo sortis frui Velit benignae aevo, imperant oracula. Sed anne Romanum bonum ullum sit magis Quam ab orbe formidata pene omni inclyti | 735 |

| | | |
|-------|---|-----|
| | Parentis ARMA Romuli? quam tot procul VIRTVS remotis expedita gentibus? | 740 |
| Pont. | Dudum, evolutis omnium mysteriis Voluminum sacrorum, ad istum, Nate mi, Scopum atque metam rite collimavimus, Vt ARMA VIRTVTEMQVE maximum bonum, Quo plurimum potest propago Romuli Patris, arbitremur. at quis ista Gordii Perplexa nodi vincula extricaverit? Vt ARMA VIRTVTEMQVE iussu oraculi Dicemus unitas voragini improbae? | 745 |
| Curt. | Oraculi monitis sacris satisfiet, Si quis generosa mentis magnitudine Spontaneoque prouens saltu in specum Se patriae atque manibus devoverit, Dirae luis vastaeque specus sortem feram Patriae periclitantis irrogans sibi. | 750 |
| Gen. | Facilius hoc dictu est, quam quod praestariet Forsan queat. quis ille, <i>Curti</i> , quis foret? Qui publicae rei impetrandum commodum Suo pacisceretur exitio et nece? Vivusque sistier tribunali audeat, Quod ense caesi mortis expavescimus? Etenim refrixit ardor ille patriae, Nec seculum istud tam ferax pietatis est Praegnansque fortitudinis tam heroicae, Qua prima Romae aetas vel Coclite unico Obstante Porsennae phalanges efferas Turmasque Clusinorum urbi imminentium A ponte sublicio potenter arcuit. Imo ut voraginis tetrum specus aestuat, Phlegethontis eructando torres flammeos, Vix Scaevolam illum Mutium ausim credere Patriae reliquum immolaturum esse corporis, Si adhuc superstes esset, ut pro patria Prius manum cremavit igne vindice. | 760 |
| | Ergone fortitudinem omnem masculam Emarcuisse, Patres, arbitramini? Nihilne maiores Quiritum posteris Laudis reliquerint haereditariae? Est, est adhuc factis paternis aemula In sobole virtus; nec futura nos tenax Aetate degenerasse rumor arguet. | 765 |
| Curt. | Esto. sed hoc barathrum, Averno semita Nulli remeabilis, trementi concutit Praecordia imi pectoris formidine. | 770 |
| Gen. | | 775 |
| | | 780 |
| | | 785 |

- Vel ipse, quamvis iam senecta grandior
 Niveis mihi canis alba tempora ambiat,
 Durante anhelitu tamen vel unico
 Pro aliis recusarem subire Tartari
 Reclusa tesqua, sulphure atro halantia. 790
- Curt. Atqui Orcus ipse dedignatur hostiam
 Talem et sua fastidit infensus specu.
 Aetate flore pullulante vivido
 Et affluens sit sorte prospera ille, qui
 Hanc mente non pavida subiturus est specum, 795
 Vltro immolasse credendus se patriae.
 Nam qui insolentis invidiae tyrannidi
 Fortunae et iratis DIIS succumberet,
 Si desiliret ille ad ima manium
 Claustra usque non amore tactus patriae, 800
 Sed acerbitate sortis adversae, necis
 Quaesisse crederetur haec solatia.
 Vel si in Charontis alterum cymba pedem
 Iam haberet, ardui quid designaverit,
 Si vile momen horae, acerbo funere 805
 Mox terminandae, patriae elocaverit?
- Pont. Bene et sapienter, Curti, de hisce disseris.
 Sed quis? quis, euge, Nate mi, piamen hoc
 Penitus sibi exitiale, lethiferum, ultimum
 Ausit subire pro salute patriae? 810
- Curt. Ego ipse - ne diutius vos demorer -
 Hoc, hoc caput saluti almae Capitolii et
 Templis Deorum, quae scisso imminent foro
 Hiatumque faucibus patentibus,
 Devovi; et ista victima et piaculo 815
 Lubens volensque Ditis obseravero
 Rictus nigrantes noxia caligine.
- Ser. Quod, Curti Eques, dignissime hoc titulo, tibi
 Praenomen est?
- Curt. Marci.
- Ser. urbi hoc auspicatius
 Nomen dari nequiret, ut fere omnium 820
Marcorum amica me recordatio monet,
 Qui maxime inde ab urbe nostra condita
 Virtutis auxerunt radiis Rempublicam.
 Nam ut Aemilios, Fabios, Furios cum Manliis,
 Horatios, Trebonios, Valerios 825
 Papyriosque transeam sicco pede,
 Vel in priore Consulatu mortuus
 Marcus Camillus ille, Marcorum omina
 In stabilienda publica re maximi

- Fuisse momenti, edocuit. sic et tuae
 Domus corona, Marce Curti, quam pio
 Et inclyto flagres amore patriae,
 Oblatione sat doces spontanea. 830
- Curt. Vtinam quod Atropos sub avara pestilens
 Detrusit antra luridae voraginis,
 Descensu ad inferas paludes concito 835
 Vt alter Orpheus vindicare rursus et
 Ad aëra exciere possem lucida!
 Tunc, mille si expianda saltibus foret
 Roma, tamen ultro millies delaberer, 840
 Eumenidum echidnas et latratum Cerberi
 Amore vero patriae nihil aestimans.
- Pont. Dii patrii, quorum sub aequo numine
 Vrbs Roma semper est, non omnino tamen
 Delere Romuli paratis scepra, cum 845
 Tales animos iuvenum tulistis et spei
 Tam certa pectora indubitatae. quae tamen,
 Quae digna, Marce Curti, posse praemia
 Solvi rear? primum omnium pulcherrima
 Dii dabunt tuique mores; caetera 850
 Vrbs tota reddet, et futuris seculis
 Tanti meriti non immemor unquam posthumo
 Honore posteritas Quiritum concinet.
- Ser. Res perditae explorant viros, perque aspera
 Interrita virtus ad trophaeum nititur. 855
 Etenim haud facile diiudicatur fictus aut
 Verus amor erga patriam, nisi incidat
 Eiusmodi tempus aliquod, ut, quasi ignibus
 Aurum, fidelis benevolentia perspici
 Magno queat periculo.
- Gen. nae, maximi et 860
 Generosi animi est, prodesse publicae rei;
 Quod qui faciunt, Deos imitantur. et tamen
 Cum quid, revulsa omni salutis spe tibi,
 Recordor audendum, vereor, ut, Marce mi,
 Fato ultimo necis patriae litaveris. 865
- Curt. Frustra, Genuti, currit is feliciter,
 Qui deficit priusquam ad metam venerit.
 Ni enim saluti patriae hoc meum caput
 Devoveram ultro, non parandi opprobrii
 Causa iocosus serviturus fabulis 870
 Prodissem fortitudine momento levi
 Evanida risum insequendo civium.

- Ser. Non forsitan. nam maximis virtutibus
Rerumque magnarum etsi non successus est,
Tamen conatus ipse honestus est satis. 875
- Curt. Indignus ista censear voragine,
Si non periculi haec exaggeratio
Mihi calcar acrius sit. ergo si nihil
Aliud moramini, ecce me, qui patriae
Meae rependam, Orco obruendus, debitum 880
Iam.
- Pont. iamne?
- Curt. iam.
- Gen. iam desilies?
- Curt. iam quantum ego
Possum. nam eo ipso est maior gratia muneris,
Quo illud minus diu pependit; et fere
Rerum bonarum est sollicita expectatio.
Sed quid melius, iucundius vel gratius 885
Est, quam patria florente commoda frui
Incolumitate? quam mei unius nece
Esse reparandam ipsa annuunt oracula.
- Pont. O si qua numina - haec enim Deo auspice
Sic dirigi quis ambigat? - pietatis et 890
Amoris ergo patriam rependitis,
Promerita praemia foenore ubere huic, precor,
Date.
- Curt. sat mihi est, si patriae ista dent Dii.
Sed eo, Patres, dicturus ultimum Vale
Penatibus meisque, quos atrocius 895
Meae simulacrum mortis obruet novo
Dolore. si lubet, me praestolamini.
- Gen. Quin usque ad imum te comitabimur Styga,
Animose Curti, alter Camille patriae.

Chorus

- Ch. Heu, quam furvae animos premunt tenebrae 900
Coecae compede vinciendo mentis,
Vt, quamvis micet aureis honestas
Praefulgens radiis, licet perennes
Laudis spondeat approbatae honores,
Assensum haud tamen assequatur aegro 905
Pressa mente metu periculorum!
Nam quid se deceat, *Genutius*, quid
Poscat patria, languidis quod annis
Intendat celerem Atropos sagittam,

Nec vitae reliquum scit esse multum 910
 Et vitae renuit tamen senilis
 Exesum patriae elocare fructum,
 Vt turpem a tumulo rogisque muscum
 Evellat gelidis oblivionum.
 Sed quam clarae animos faces serenant 915
Virtutis placido exciando fotu,
 Vt quando micet aureis honestas
 Praefulgens radiis et ut perennes
 Laudis spondeat expetendae honores,
 Assensum subito assequatur acri 920
 Spretis mente periculi procellis.
 Quas vernans mediae rosis iuventae
Marcus Curtius inferae paludis
 Transmissurus aquas nihil veretur.
 Nam quamvis malus est malis parato 925
 Se immiscens animo, tamen vel omni
 Peior pessimo is est, qui amore turpis
 Privato utilitatis expavescens
 Detrectat publicae malo ruinae
 Faventis Zephyrum erogare sortis. 930
 Quas ergo patriae meretur irae
 Incensas validis faces medullis
 Segnis reddere debitum, his sine ulla
 Succurrendo mora perenne laudis
 Succendit iubar, et decus corusca 935
 Curat lampade conspici per orbem.
 Ergo dente prius gemiscet unco
 Disruptus rutilus Olympus astris,
 Tybris farra suis recondet undis,
 Delphines Capitolium vel ignem 940
 Stringent insolito sacrum natatu,
 Quam te, *Marce*, animumque tempus acrem
 Ignorabit edax tuaeque presso
 Mussabit pietatis ore laudem;
 Qua sensum monitis Deum recludens, 945
 Cum posses patriae latere damno,
 Plenus numine temet obtulisti,
 Hiantis specore obruendus Orci,
 Vivus desiliens ad ima furvae
 Vmbris Persephones dicata regna. 950
 O felix Stygii charybdis antri,
 Quae priscae pietatis et vetustae
 Virtutis radiis adhuc nepotes
 Collustrare docet potentiore
 Virtutis documento honestioris. 955

Nam quamvis validos removit hostes
Nec cessit nisi ponte iam revulso
Porsennam afficiens timore Cocles,
Spe vixit valida tamen salutis,
Quae prorsus tibi, *Marce*, denegata est. 960
Dextram *Mutius* igne concremavit;
Dextram fors renuisset ipse, si igne
Vrendus Phlegethontio fuisset.
Ergo omnes generositate vincet
Marcus Curtius inclytos Quirites? 965
Vinces, *Marce*, et, ut inter astra Titan
Praefulget, reliquos premes tenebris,
Ni charae genitricis eiulatus
Et sponsae tenerae preces et huius
Fortunae et melioris, ambae honore 970
Dignae, coepta tibi periculosa ad
Privata emolumenta mox reducent.
Sed euge, Cyprio vico successimus,
In qua Quiritis est domus fortissimi.
Et ecce, mater egreditur domo, horrido 975
Rumore consternata privati mali.

<Actus quartus>

Curtia mater, Volumnia sponsa M. Curtii

- Mat. O frustra in aras devoluta singulas
Pro filii salute thuris pondera
Et nec Dearum ulli Deumve plurima
Audita vota, si miserandus exitus 980
Rumoris certitudinem probaverit.
- Vol. Nihil profecto tristius nec certius
Quicquam: ut mihi redeunti a Fortunae
Muliebris aede magna gratulatio
Et civium acclamatio, dirissimo 985
Cor sauciavit intimum tripudio.
- Mat. O luctuosa nostra sors! quae publicam
Festivitatem temperare lacrumis
Perenni fonte manaturis nititur.
Quin potius inferna specus voragine 990
Paludis eructet mephitim luridae
Commune gaudium coercentes publico
Luctu. si alio fato replerier nequit
Hirudo nostri sanguinis, quid unica et
Misera quidem viduata solitudine 995
Domus luat, quod urbs simul patrauerit?
Minime luet, nisi fefellerit mei
Marci me amor pietasque et oboedientia;
Qua me hactenus, pii lucta certaminis,
Benignitate vicit incessabili. 1000
Tu, mea Volumnia, tu modo dictis mollibus
Averte triste, dum licet, periculum,
Ne forte fulcro hoc corrueute mutua
Ruina nos pari prosternat impetu.
- Vol. Nil precibus est opus, Nurus dilecta, ubi 1005
Eadem suprema flagitat necessitas.
Ni enim sociatis deprecationibus
Ab impia hac pietate dimovebitur,
Frustra Veneris Saturniaeque pronubae
Delubra funestis salutassem sacris, 1010
Arae inferendis invidae Proserpinae.
Et tu, Cupido, vinculis frustra tuis
Adnixus esses nostra corda iungere,
Rictu trifaucis devoranda Cerberi.
Sed insolens resultat auribus sonus, 1015

Frequentius loquentium agmen arguens.
 Ehem.
 Mat. quid est?
 Vol. ah, me miseram!
 Mat. quid, obsecro, est?
 Vol. Ah Sponsus.
 Mat. heu, quid ille?
 Vol. maximo agmine
 Stipatus advenit procul.
 Mat. heu mihi.
 Vol. et quidem
 Servilio Genutioque praevis. 1020

M. Curtius, Chorus, mater, Volumnia

Curt. Nullam Dearum iungier nunc mavelim
 Mihi quam, quae Vlyssis eloquens facundia
 Agamemnona filiae Iphigeniae victimam
 Spondere Latonae coëgit, ut meae
 Parentis affectus ad publica commoda 1025
 Vertam, ne acerbior luctu et ictibus
 Vix sustinendis cor inexpugnabile
 Distringeret. sed eo, Quirites, etsi atrox
 Lucta pietatis me a patria domo arceat
 Et reddat ingratos olim optatos lares. 1030
 Cho. Ito coronis, Marce, cingende omnibus,
 Quae nondum ovantis ambiere tempora:
 Consensu enim valli Senonum audacissimo
 Castrensis ut servato cive civica
 Data est, triumphalem offeremus illico, 1035
 Cum matris ardentis amoris et pium
 Animum emolumentis publicis accommodans
 Inaestimabilem referes victoriam.
 Ito coronis, Marce, cingende omnibus,
 Quot Roma dat bene meritis Quiritibus. 1040
 Curt. Imo ibo. vos penates patrii, ultimum
 Mihi subeundi, vosque chara limina,
 Salvete et obducto callo piissimae
 Genitricis aegritudinem compescite.
 Sed en, geminis quassabor, et valentibus 1045
 Quidem, arietibus. ne vincar, o Dii, date;
 Vincendus absque numine. ut pietas gravi
 Terebrat ictu vellicatque pectora!
 Adibo. salve, chara Mater; hem, quid hoc?
 Quid osculo te subtrahis?

| | | |
|-------|---|----------------------------------|
| Mat. | cessa. sciam | 1050 |
| | Prius, sine, quam amplexum accipiam istum, Marce mi, Vtrumne ad hostem venerim, qui, propria Manu revulso crate pectoris, suae Matris cor inferum in lacum trusurus est? Vel anne filium alloquar, qui fortiter | 1055 |
| | Tam enorme tetricumque et improbum scelus Arcere de parente nitatur sua? | |
| Curt. | Quid ista quaeris, Mater ipsa charior Mea mihi vita? | |
| Mat. | quid, obsecro, rogas? | |
| | In hocne longa vita et infausta, heu mihi, Senecta traxit, ut - vae, vae mihi miserae! - Te vivum abysso mancipatum Orci tua Mater viderem? ad hoc reservata ergo sum? An non tibi, quamvis animo hoc adamantino Perveneras ad hocce limen, unico | 1060 1065 |
| | Aspectu atrox sententia, si tamen fuit, Disparuit meo remota amore? quid? An non tuis meisque visis aedibus Succurrit istud: euge, in his est aedibus Relicta mater unico mihi et meis | 1070 |
| | Iam destinata nuptiis sponsa? ergo ego Nisi peperissem, Roma collapsam specum Non esset oppletura iussu oraculi? Quin et, ni haberem filium, urbe gaudio Iam personante, gaudii essem particeps. | 1075 |
| | Sed ego nihil quidem exitialius tibi Videre possem nec mihi miserius et, Vt sim miserrima, haud tamen futura sum Diu, tua perimenda, Marce, dextera. De hac videris: cui, si ista pertinacia | 1080 |
| | Perrexeris, thorus genialis coniuge Viduata acerbam, luctuosam, noxiam Portendit usuram tenerae aetatis. | |
| Vol. | quid? heu | |
| | Mihi, meum suavium? hicne is exitus Penitus inextinguibilis, ut simulaveras, Amoris est? sicne ergo amata sum tibi? Ad hoc tibi expedita? denique omnibus Ambita blanditiis? ne gestientibus Aliis ego sola, sola ego, expers anxii Doloris essem? sed minimi, eheu, gaudii | 1085 1090 |
| | Vsum eiulatu perpetuo et cruciatibus Aeterni et infandi mali paciscerer? | |

- Curt. Ah, chara Mater tuque mea Volumnia,
Cur modo maternis coniugialibusque me
Meumque factum oculis, quaeso, intuemini? 1105
Nisi publicae rei malis urgentibus
Materni amoris et maritalis grave
Velamen ex oculis simul removebitis,
Nec imminentem, ut vos vocatis, miseriam, ut
Ego, faustitatem sentietis publicae 1100
Rei saluti innitier nec Apollinis
Oraculo monitisque Divum propria
Iactura, ut arbitramini, censebitis
Satisfaciendum nec Quiritum et civium
Laudes mihi vobisque gratulantium 1105
Pietate promerendas hac putabitis.
- Mat. Quam tu salutem? quae Deorum oracula?
Quas, Marce, pollicere laudes civium?
Tua salute publicam stabilirier
Volo; nec adversis Deorum oraculis 1110
Luctum mihi subsannatione civium
Acerbiore compararier volo.
- Curt. Non hanc, sed aeterno decore gaudium
Tibi perenne, chara Mater, sanciant,
Quod demerebor acri fortitudine, 1115
Saluti patriae caput hocce devovens,
Vt Pontifex oraculo sacro, cohors
Quiritum gratulatione, Consules
Suasu et hortatu admonent fidissimo.
- Mat. Vide, euge, munificentiam? quin de suo 1120
Hi largiantur, alieni aeris prodigi?
Et credo equidem - quae quorundam impudentia est,
Qui, dum sibi modo consulant, in ultima et
Extrema quaeque alios dare nihil ambigunt -
Non defuturos, qui meo discrimine 1125
Tuaque vita irrecuperanda, Nate mi,
Suas paciscituri sint res prosperas.
Si enim usque adeo inhiat saluti publicae
Bonus ille Pontifex, et ipsi ad inferos
Lacus vorago grande pandit ostium. 1130
Vel si tot altis perstrepens encomiis
Plebs pollicetur immortalem gloriam,
Cur non eandem promereri gestit? et,
Quae subdit acriter, horret, en, calcaria?
Vel si salutem publicam ambo *Consules* 1135
Tam avide sitiunt, quidnam morantur, quo minus
Id esse verum exemplis comprobent suis?
Quid, euge? ut a periculo immunes sient,

| | | |
|-------|--|------|
| | Alios volunt obnoxios periculis. | |
| | Quid <i>Hala</i> rictus cessat infandae specus | 1140 |
| | Subire, vix aetate te maior, suos | |
| | Fasces lue ista fatali ultro vindicans? | |
| | Quid alter Orco debitos canos, necis | |
| | Iam demetendos falce curva impendere | |
| | Detrectat urbi patriae? aut ex liberis | 1145 |
| | Vnum immolare pro salute patriae? | |
| Curt. | VIRTVTEM ET ARMA postulant oracula | |
| | Vnita consecrarier voragini. | |
| | Ergo Quirites innuunt, qui robore | |
| | Patres tueantur et populum virtutibus. | 1150 |
| Mat. | Quin quivis alter obruatur horridi hac | |
| | Abyssos averni, Nate mi? quid? tene tot | |
| | Ex millibus Quiritum solum acerbitas | |
| | Fati voragini isti destinaverit? | |
| | Meumne tantum et in miserae Volumniae | 1155 |
| | Caput tam atrox redundat infortunium? | |
| | Nec invidios recondet enses Atropos, | |
| | Ni ego orber filio, Volumnia coniuge? | |
| | Nostrone tantum sanguine glutinabitur | |
| | Hiatus, atri pandens regna Tartari? | 1160 |
| Curt. | Iisdem et omnes se tumentur anchoris, | |
| | Quicumque publicis negocia commodis | |
| | Privata praeferunt nec utile aestimant | |
| | Pro patria suum pacisci commodum, | |
| | Crassae involuti coecitatis nebula, | 1165 |
| | Quam saepe sero sentiunt piamine. | |
| | Etenim, dum quisque se modo sibi genitum | |
| | Effoeminatae mentis applausu putat, | |
| | Quae publici exors esse vult periculi, | |
| | Tandem, columna corruente publica, | 1170 |
| | Nolens volensque ruina anhelat obrutus. | |
| | Et hac ruina nos quoque obruemini, | |
| | Genitrix verenda tuque chara Volumnia, | |
| | Nisi specum obseravero, voti reus. | |
| | Quo persoluto maxime hoc evenerit, | 1175 |
| | Vt inter applausum Quiritum et civium | |
| | Patrumque iure gratulantium tibi | |
| | Aetate possis summa consenescere. | |
| | Nec enim ambigo, quod fata dempserint, | |
| | Deos tibi addituros esse aequissimos; | 1180 |
| | Nec immemores meos Quirites suspicor mihi | |
| | Vnquam futuros laudum Marci Curtii, | |
| | Sed assiduis te celebraturos vocibus | |

| | | |
|-------|--|--------------------------------------|
| | Et hisce, propter hanc absentiam meam, Edulcoraturos senectae incommoda. | 1185 |
| Mat. | Solamen ipsa luctuosius nece, Mi Nate, spondes. nam quid illa grandior Senecta aliud quam supplicium mihi foret, Et id quidem tormento omni crudeli? Egone te, te, Marce mi, vivo Stygis Demerso aquis et infera absorpto specu Vel unica superstes esse hora queam? Aut, si queam, o terra, o supremi Coelites, Quid illa acerbius? quid, heu, truculentius Atrociusve mihi miserae contingeret? Nempe ut perenni lancinarer impetu Et anguibus immanissimis Erynnies Lentoque, sed dirissimo tabescerem Incendio, senectae dira tempora Mihi prorogarent numina crudelissima. Quae de Quiritum pollicere laudibus Luctumque nostrum publicis praeconiis Putas levandum: nae, crudelior feris Futurus esset, si quis infortunii Mei nefandi et ultimi assiduus foret Praeco et novis exulceraret ictibus Adempto corda sauciata filio. Nae, etiam elegans concentus et symphonia, Quam, Marce, spondes, eiulatu et lacrumis Singultiente redditis de pectore Meo gementem et flebilem daret sonum. Quare, euge, Nate mi, meae spes unica et Columna iam fessae senectae, per tua Haec genua, queis supplex adhaereo, illa ego Tua mater, illa, quae hocce temet pectore Et hisce brachiis tenellum et parvulum Infantum fovi, obsecro, te oro, precor, Obtestor, adiuro: ne adultus et tui Iuris tuo isto pectore atque brachiis Fovere cesses me miseram mulierculam Et viduam et orbam liberis et coniuge. | 1190 1195 1200 1205 1210 |
| Vol. | Ah, mea voluptas, quid? quid haeres, obsecro, Mellite <i>Marce</i> ? sicne repudies tuae Matris preces? quid obstinatus perditum Is te tuosque? quid morare, Mel meum, Quo minus amico recrees solamine Moerore nosmet implicatos maximo? | 1215 1220 |
| Curt. | Equidem fateri cogor, omne fellea Amaritudine temperari gaudium, | 1225 |

| | | |
|-------|---|------|
| | Quod ob salutem patriae conceperam, | 1230 |
| | Sponsam marito et filio matrem unico | |
| | Orbarier cernens. sed o charissima, | |
| | O luce Solis gratiora lumina, | |
| | Exactiore ponderate, age, trutina, | |
| | Maternis coniugalibusque affectibus | 1235 |
| | Demptis, quibus suspiriis et lacrumis | |
| | Opem dolens et eiulans Respublica | |
| | Requirat, expetat, reposcat, flagitet | |
| | Et ut omnium in me sint retorsa lumina, | |
| | Iners timoris exprobrando dedecus, | 1240 |
| | Tacitis moram omnem nutibus increpantia! | |
| | Quod si luis - et punctione torminum | |
| | Obscuriore lancinante viscera | |
| | Praesagienda tuta vix est sanitas - | |
| | Contagio me quoque tabe dira infecerit, | 1245 |
| | Vt ignis exustis revellat pestilens | |
| | Necem incruentam et ignavam pro patria | |
| | Salute detrectantem animam praecordiis, | |
| | Quis huius usus tunc erit cadaveris? | |
| | Inanis huius spiritus, quem patria | 1250 |
| | Mihi mutuo datum saltem elocaverat, | |
| | Nisi ut pudendo, foedo et infami rogo | |
| | Vrna obruendus indecora concremer? | |
| | Mavultis ergo peste confecti rogos | |
| | Vna auferentes nomen intuerier | 1255 |
| | Decusque inhonoratis humare cineribus? | |
| Mat. | Vorago tetra genusque formidabile | |
| | Mortis supremo concutit pectus metu. | |
| Vol. | Tun', chare Marce, ceu Vestalis Oppia | |
| | Vrbem Potito et Vibulano moderantibus | 1260 |
| | Tellure congesta sub porta Collium | |
| | Defossa viva est, vivus obruere humo? | |
| | Vel ut Medullino et Pinario Consule | |
| | Vrbinia in tetram specum praeceps data est, | |
| | Etiam tu ad ima praecipitere Tartara? | 1265 |
| | Inauspicatam luctuoso funere | |
| | Diem inde fastis exclusurus omnibus? | |
| Curt. | Erras, meum Mel. illae enim ob laesum Deae | |
| | Sacrum sensere vindicem Rhamnusiam, | |
| | Dum ego, sacrum Deae expiando, si vel hic | 1270 |
| | Dies nefastus esset, hoc infamiae | |
| | Crimen mea essem deleturus hostia. | |
| Mat. | O ter beatiora fata civium, | |
| | Qui Gallicis icti occubuere tragulis, | |
| | Priusquam aduncos Cerberi immanissimi | 1275 |

- Sensere dentes, dum his tui viventis et
Trementis artus irruens discerpserit.
- Curt. Discerpti et illi strage tetra vultures
Pascunt; in hoc me miseriores. quod decus
Commune plurimum de honore deroget, 1280
Tot inter enectos simul dispescito.
Sed ominare laetiolem prospero,
Dilecta Mater, exitu catastrophem.
Quid, si pater Quirinus experientia hac
Periculosa animos Quiritum masculos 1285
Tentasset; inventoque, qui urbi patriae
Se devoveret, oclusurus ostium
Esset sine irruentis ullo incommodo?
Quem tunc piae laturus ille audaciae
Fructum esset absque vitae ullo dispendio? 1290
- Mat. Quid si ista, Nate, spes venientem fallat? et
Vorago hiatibus patens promptissimis
Piaculum esset exceptura? quis - malum! -
Revolso adamantino inferorum carcere
Ad auras excieret hunc, qui propria 1295
Sese obtulisset Orco pertinacia?
- Curt. Dii, mea Mater. his enim, qui ab inferis
Ducem Phrygum, Orphea, Herculem atque Thesea
Vivos reduxere, haud operosa res erit
Fatis iisdem me et mea fata prosequi. 1300
- Vol. Quid algido fovere nos solamine
Pergis, meum Mel. nam altiore saucia
Ictu medelam hanc ambiguam fastidio.
Quod si tamen spe vivis ista, Sponse mi,
Vivamus ambae eadem: eodem robore 1305
Suffulciamus aegra corda et te ad Erebi
Comitemur antra, tecum vel reduces simul
Vel obruendae Orco simul.
- Curt. ah, mea Corcula,
Quid emolumento publico has innectitis
Moras, precibus animum labefactando? me enim, 1310
Me fata poscunt, nec mea fungi vice
Vos esset aequum. quid brevem usum temporis
Mox consociaturi in beatis nos locis
Luctus atroci duplicatis impetu?
Cum ergo nefas sit apta publicae rei 1315
Tempora terere nil profuturis lacrumis,
Age, accipite ultimum Vale, charissimae.
- Mat. Vae, vae mihi.
- Curt. hem, quid exanimis collabere?
Quid dirigescis? ah, mea tu, *Volumnia*,

Et vos, famulae, allevate, tollite ocyus. 1320
 Ego corde, ut aestivis radiis nix liquitur,
 Gemitu parentis colliquescente haud queo
 Vt publicae matri rependere debitum.

Chorus

Ch. O stupescendi violens amoris
 Flamma, materni superans caminos 1325
 Ignis Aetnaeos, quibus aes Pyragmon
 Solvit ambusto liquefactum aheni!
 Non enim candens adeo tremore
 Lamina infusis crepitante lymphis
 Stridet invisum removens liquorem, 1330
 Matris ut pectus lacrumis rigatum;
 Coitque materno crepitans dolore,
 Nescit accensas inhibere flammam,
 Nescit aspersos tolerare fletus.
 Nam velut Cauri resonante Nimbo 1335
 Africi atque Euri rabidis procellis
 Iam coarctati pariter cohercent
 Obice incensos dubio vapores,
 Donec elisis rutilo micantes
 Nubibus flammae, iaculi trisulci 1340
 Igne perrumpant rigidasque torno
 Fulminis cautes validi terebrent,
 Hinc et hinc omni requie negata.
 Sic tuum tanto, generose Marce,
 Cor petendo transadigunt tumultu 1345
 Fulmine iniectu vehementi, ut ingens
 Saxeas librat catapulta moles,
 In tuum pectus violenta flammae
 Tela torquentes rutilae, quot audax
 Thessalus gentis genitor bimembris 1350
 Nec trucidanda tumidus cohorte
 Sensit Aegaeon trifidis sub imos
 Ignibus manes revoluta monstra.
 Sed quod insultus pietatis acres
 Atque dilectae gemitus parentis, 1355
 Quos nec Alcides nec atrox Achilles
 Nec piaie natus Veneris tulisset,
 Publicae aptandos pietati et usui
 Censeas urbis patriae, quis illud
 Laudibus tandem meritis celebret? 1360
 Cum velut rupes validis moveri

Nescia a saxis latices aquarum
Mole luctantes rabida retundit
Et procellosos nihil horret Euros,
Imbre quassatus lacrumarum oborto 1365
Et fatigatus gemitus procellis
Viceris planctum genitricis alto
Patriae afflictæ miseræ eiulatu
Publicæ sortem miseram parentis
Sorte privatae misera piando. 1370
Ergo et incertis titubans vacillo
Gressibus, quisnam violentior, quis
Fortior tantis facibus sit ardor:
Anne maternis veniens medullis
Dote naturæ soboli educandæ 1375
Insitus, nullis abolendus horis?
Anne virtutis nimium potenti
Spiritu accensus, velut iste Marci
Igneus mundi vigor axem utramque
Luce collustrat iubaris diurni. 1380

<Actus quintus>

M. Curtius, Q. Servilius

- Curt. Nunc, euge, nunc patescat atri ianua
Plutonis, et gula trifaucifer canis
Avida dehiscat, excepturus hostiam
Post tot, quot inviti subiere Tartarum,
Saltu petentem Tartarum spontaneo. 1385
Volens lubensque - testor infernos lacus
Ripamque dissulturam inopino turbine
Saltus mei - pro patria Orco mancipor
Charaeque debitum rependo patriae.
Sed quo minus solidum mihi hocce gaudium 1390
Sit atque cor vacillet aegrimonia
Atrocioire matris orbae, grandior
Senecta, solitudo, fletus et preces
Faciunt. et o utinam meum factum modo
Matrem latere posset! haec obest mihi 1395
Minuitque mortis expeditae gaudia.
- Ser. Ergone adhuc eadem tibi sententia
Est, Marce? nec tot aeneae istae machinae
Tamque aspero illisu irruentes, quae mihi
Quoque impetu extorsere lacrumas suo, 1400
Animum paratum patriae expugnaverint?
- Curt. Si pristinum infortunium est, et pristinus
Mihi animus est eritque semper pristinus.
Dies nec ulla degenerem tam fortibus
Arguerit incoeptis; secunda patriae 1405
Tantum salus cadat. sed hoc per omnia
Vnum oro numina: est mihi - et forsitan preces
Illius audisti - sitque me sibi
Superstes erepto diutius, precor,
Viduata coniuge mater, orba liberis 1410
Et tardiore iam senectute aegrior.
Hanc ipse ego ob periculum, quod imminet
Mihi irruenti plane inevitabile,
Nullo erigendam desero solamine,
Quod non queam perferre matris lacrumas. 1415
At tu, Hala mi, succurre blandis vocibus
Solatiisque mortis afflictæ meae
Modo insolenti; et ultro haereditaria
Pietate sublevato, succedens meo,

- Quod hactenus pietate matri debita 1420
 Lubens tuli, oneri. hanc, oro, spem tui sinas
 Me ferre, et hoc solamine ibo audentior
 Ad ima, non rediturus, antra Tartari
 Vel, si quid ipso tetrius sit Tartaro.
- Ser. Ah, chare Marce, digna spondeo omnia 1425
 Coeptis tuis ingentibus. namque ipsa erit
 Mihi genitrix, nomenque matris unicum
 Defuerit. etenim haud parva tantum gratia
 Partum manet, qui corruentes patriae
 Suffulcit interitu columnas proprio. 1430
- Curt. Praeterea et altera est doloris particeps,
Volumnia, cordis huius ampla portio: hanc
 Thoro et futuris destinatum nuptiis
 Tuae et Quirinali relinquo dexteræ.
- Ser. Per hoc caput iuro et per horrendam specum 1435
 Virtute complendam tua, generose Eques,
 Per has secures, quae tuis virtutibus
 Securæ ab hoc reddentur infando malo,
 Per hosce fasces, qui mihi fasces Aeaci et
 Inevitabilem Rhadamanthi urnam exprimunt: 1440
 Quae polliceor tibi et Diis praesentibus
 Mansura eadem Matri et Volumniae.
- Curt. sed hem.
- Ser. Quaenam ista?
- Curt. de qua dixeram.
- Ser. nae, pulchra, nae,
 Veneri aemulis renidet elegans genis.

Volumnia, M. Curtius, Q. Servilius

- Vol. O spes imaginariae, o vanissima 1445
 Festivitatis nuptialis somnia!
 Quam gaudii brevis usuram brevissimam
 Largo doloris aere foeneramini?
 Nurus perempta, luctuosa filii
 Pietate, terminaturo infortunium 1450
 Mox concremanda erit rogo; sponsum undique
 Veneno Erynnis anguium turgentium
 Incincta spiris implicat perplexibus,
 Quas nec meis cor aestuans amoribus
 Nec arcta quondam matris observantia 1455
 Queat expedire, quo minus abruptum Stygis
 Barathrum equo subire vivus audeat.
 Ibo tamen: fors pectus hoc aheneum

| | | |
|-------|---|------|
| | Nutans recenti adhuc titubansque maximo Materni amoris impetu commovero, | 1460 |
| | Si ariete maternae necis quassavero Pectus dubia vacillans aegritudine. Quam si secutura auxero victoria, Vel Coriolani faustior Volumnia, | 1465 |
| Curt. | Aedem dicabo Fortunae meae sacram. Vix dedicaveris. nec enim victoriam, Mea Sponsa, consequere. | |
| Ser. | nae, atrocissimus Conflictus instat: non nisi constantia Virilis acri sustinendus impetu, Mi Marce. nam quis ore fusas Cypridis | 1470 |
| | Precesque blanditiasque, quaeso, perferat? Aut lacrumis adamantinum solventibus Robur cor imum haud sentiat liquescere? | |
| Curt. | Sentio equidem. sed utilitatis publicae Vis summa privatae amorem omnem retundit. | |
| Vol. | at | 1475 |
| | Quis hic loquitur? | |
| Curt. | tuo flagrans amore. | |
| Vol. | quae Miserrimam irridere delectatio est? Satis cumulata sunt mala quam, quae augerier Nefaria insultatione debeant. Qui enim reipsa amorem fictum obliterat, | 1480 |
| | Subsannat afflictas titulis incongruis. Quod si tuis me amplecterere amoribus, Non morte memet enecares triplici, Genitricis orsus hancece parricidio. | |
| Curt. | Noli pietatem tam probroso stigmatem Tetri, Volumnia, facinoris inurere. | 1485 |
| Vol. | Vtinam hocce mitiore, Mel meum, nefas Liceret admissum elevare nomine! Sed cum pari notentur illi infamia, Tam qui furore belluas dirissimo | 1490 |
| | Superans manus cruentat impias suis Visceribus et parentes mactat horrido Immanitatis execrandae crimine, Quam fabrica qui proprii infortunii Curis parentes enecat mordacibus, | 1495 |
| | Quas coecitate accersit spontanea, Vereor, ut enecta genitrice competens Nomen patrato derogaveris malo. | |
| Curt. | Quid? anne matrem mortuam esse nuncias? | |

| | | |
|-------|--|--|
| Vol. | Si functa fato lacrumabili et ultimo Putatur illa, quae perenni luctuum Dolore, fletu, lacrumis, suspiriis Gemituque marcescens Erebaeis faucibus Mox excipienda est; iam quidem atro gurgite Innare Averni ianuaeque dixerim | 1500 1505 |
| Curt. | Astare matrem Tartari, cui tu per hanc Subire gestis, heu mihi, voraginem. Fatum urget ergo, ut impavidus subeam specum Nec matrem ad Orci praeviam antra deseram. | |
| Vol. | Quae, Marce, quae occoecant animum caligine Nebulae tenebrosa? ut, qui ab immani Arcere debuisset antro nuncius, Is ad ruinam proniorem reddat et specus Vim coecitatis exacerbet ultimae? Ad Orcum, ad Orcum, Marce, praecipitabere: | 1510 1515 |
| | Rapiere vivus imum ad Orcum, Marce mi! Adeone taediosum ergo fastidium Obrepsit expetitae consuetudinis, Vt vivus Eumenidas venenato aspidum Sonantes sibilo et rigentes sanguine Concreto amicis osculis amplectier Malis? eone gratiosos lumine Tam claro ocellos hos serenavit Venus, Vt ater hos obfuscet ex Erebo vapor? Et umbrae inanes manium perterreant? | 1520 1525 |
| | Ideone purpuram ori eburque sedula Iunxit Dione, ut oppleatur inferae Paludis halitu et picea fuligine? Vel hosce crines auro eo discrevit, ut Furiae colubrino extricent hos pectine? | 1530 |
| Curt. | Quidni? diu pexere enim calvarias Carie peresas atque deformes situ. | |
| Vol. | Rides? nae, atrox minatur hic risus malum: Si conglobato turma Gallorum agmine Tua perempta fortitudine et lacus Praemissa ad Orci iuncto robore irruet Manu expetens diram ultionem vindice. Vtinam ergo, si te illuc trahebant impia et Tua asperanda fata coecitate, vel Inermis et titulis carens ingloriis Delaberere! mitiora - si quid est In Orco mite - sane fata manium et Tranquilliora sentires. nunc Gallico Cruore spumans illitusque lurido Tabo hostium; Dii, quot irruent globi | 1535 1540 1545 |

| | | |
|-------|---|------|
| | Larvarum et umbrarum sua vindicantium Revulsa dextera ista vitae stamina? Nam scis metu ingenti trepidasse Agamemnonis Graii phalanges, cum ducem Aeneam Phrygum Hostilibus coruscantem armis cernerent | 1550 |
| | Irasque in ipso exercuisse Tartaro. Nec his dubitas offerre te cohortibus Novies, quibus interfusa Styx omnem negat Requiem, adamantino obseratis obice? | |
| Curt. | Sine, veniant. etenim haud eorum inermibus Terrebor umbris, quos tuli armatos. sed en, Vale, Volumnia; tempus urget. | 1555 |
| Vol. | heu mihi! O Marce, caute durior Marpesia, Adhucne surda perstas aure pertinax? Hoc ergo tot dirae voragini undique | 1560 |
| | Iniecti adamantes, heu mihi, portenderint, Vt ista duriora adamante pectora Quoque auferenda sulphurea innuerint specu? | |
| Curt. | Vale, vale charissima. | |
| Vol. | heu mihi, vae mihi! O terra, coelum, marmor, aër, sidera, Quis unquam atrociolem mente fascino Vicissitudinem obvoluta expertus est? Vt nuptialibus taedis Phlegethontias Faces, Cupidini trifaucem Cerberum, Plutonem Amori, coelo Avernum, Cypridi Proserpinam, Furias Charitibus, Inferos | 1570 |
| | Superis, tenebras lumini, astris noctem et, heu, Necem nefandam vitae praetulerit? quid, o Dii, nuptiis sit, heu, magis contrarium? O dira blandientis importunitas | 1575 |
| | Sortis, quam iniquos et nimis praeposteros Paranymphos atque pronubos subordinas! | |
| Curt. | Lares valete vosque chara limina. Eamus hinc, ut armer, antequam cadat Tanto labore parta aegre victoria. | 1580 |
| Ser. | Nae, si triumphales ab Indis ultimis Currus reduxisses, Eques fortissime, Si victor agrum subiugasses Caspium aut Rheni bicornis accolas Mavortios Patris Quirini territasses alite, | 1585 |
| | Vix dimicatione velitatio Severiore decertasset, Marce mi. Ni ergo triumphali omnis urbs encomio Celebrabit hanc stupendam fortitudinem, | |

Dignissimam esse iudico, quae perpete 1590
 Infamia notetur, inevitabile
 Specu refossa perferens contagium.
 Curt. Spero quidem. sed invidos tamen puto
 Non defuturos, qui ambitiosae gloriae
 Siti arrogantis aut vitiis contrariis 1595
 Sint imputaturi meam hanc audaciam.

Chorus

Ch. Quis tantum scelus ausit,
 O ter maxime *Curti*,
 Tam atro rodere dente
 Immortalia genti 1600
 Romanae benefacta
 Vltro oblata nec ullis
 Compensanda trophaeis?
 Non si Delius ipsas
 Plectro mulceat auras, 1605
 Non si mille Camoenae
 Sacro Phocidos antro
 Laudes plectra docerent,
 Aut plenas Aganippe
 Det Permessia lymphas, 1610
 Hac virtute sonantes.
 Quod si dente canino
 Livor rodat iniquus
 Tantum heroa, veneno
 Sugillans Acherontis, 1615
 Quis tam lumine captus
 Tanta haud deroget omnem
 Assensum impietati?
 Quis non sentiet Orci
 Promanasse fluentis 1620
 Virus noxium et ipso
 Orci foedius amne?
 Grassaris tamen orbe
 Livor pessime toto,
 Harpiis Furiisque 1625
 Monstrum foedius ipsis.
 Haeret pallor in ore
 Et turpis dominatur
 Toto corpore squallor;
 Nusquam recta aciesque 1630
 Serpit lumine paeto.

Quin rubigine dentes
 Incrustantur adunci,
 Diri pectora fellis
 Sunt infecta virore; 1635
 Est suffusa recenti
 Pernix lingua veneno,
 Sola et gaudia surgunt,
 Quae movere dolores.
 Nec somnis fruitur, sed 1640
 Curis excita semper
 Intabescit acerbis;
 Successus hominumque
 Spectando iugulatur,
 Et dum caetera demens 1645
 Carpit, carpitur una.
 Hoc si quando pruinis
 Et squallentia tabo
 Monstrum deserit antra,
 Vt semesa relinquat 1650
 Scissae corpora echidnae,
 Tunc, quascunque per oras
 Incedit, scelerata
 Foetas proterit herbas
 Atque exurit aristas 1655
 Afflatuque nocenti
 Cunctas polluit urbes;
 Celsas inficit arces
 Perreptando potentum,
 Spreto paupere tecto 1660
 Poscens ardua quaeque.
 Ad regalia tecta et
 Festa pace nitentes
 Cursum dirigit aedes.
 Sed nil pessimum et angue 1665
 Monstrum immanius atro
 In te iuris habebit,
 Immortalia morsu
 Nequicquam benefacta
 Arrodens rabioso. 1670
 Proles, Marce, Quirini,
 Fulgens patriae ocelle,
 Ni te inviderit Orco
 Vix florentibus annis
 Exceptum generosae 1675
 Virtutis pietate.
 Qua ructantia diro

Foetore antra Mephitim
Disruptasque cavernas,
Inferni ostia regni 1680
Clausisti, rabiosi
Rictus Cerberi avaros
(Queis tu, perfide Livor,
Proles dira Acherontis,
Esses contumelandus!) 1685
Strictos mortis et enses
Aurae tabe nocentes
Summo robore mentis
(Quis non, Marce, stupescat?)
Sincerae domuisti. 1690
Sed hem, quis alta voce perstrepat sonus?
Euge, euge, equo sublimis acri, praevis
Consulibus, ut virtute vix effabili et
Pietate non remuneranda in patriam
Meretur, exit, exit, euge, CVRTIVS. 1695
Vt, euge, fulgurantibus oculis micat,
Equo insidens! nimis decora ferrei
Lorica amictus et sarissa splendicans,
Nae, laetus agmen affluens circumspicit,
Amore flagrans patriae heros igneo. 1700
Locum date hacce, quaeso, transeuntibus.

<Actus sextus>

Q. Servilius, L. Genutius Coss., M. Curtius, Chorus

- Ser. Papae, *Genuti*, quanta confluit virum
Ad insolitum spectaculum hocce concio!
Si indixissemus una curiata vel
Centuriata cum tributis Comitibus, 1705
Contagionis et luis periculo
Centesimum vix advenisse suspicor.
Nunc vero quanta turba, quanta, age, undique
Abyssum multitudo stipat inferam!
- Gen. Et Imperio, Hala, gratulor nostro et simul 1710
Mihi gaudeo, quod improbas dira Atropos
Manus cohercuerit, mediocri civium
Contenta strage; tum quod insatiabilem
Dediscet occandi furorem, Curtio
Cratere suscepto profundi gurgitis. 1715
- Ser. Haec est specus, magnanime Marce, quae Deum
Monitis eo, quo Roma plurimum potest,
Est consolidanda. tu ergo Fortitudinis
Et Romuli propago laudatissima,
Animose Marce, utraque tam pietate quam 1720
Peritia armorum nulli superabilis,
Dic, ane publicae rei piaculo
Oraculi impleturus postulata sis?
Vel ane territus specu irremeabili
Vivus subire tecta Tartari abnuas? 1725
- Curt. Quod si haec vorago me timoris arguit,
Tunc inferi manes Erebi que numina,
Quae me estis excepturi in ipso limine,
In limine ambustum Stygiis incendiis,
Anima cohercita inferi antro Cerberi, 1730
Cadaver hoc infame iterum protrudite;
Vel si Phlegethontis innatans iam vortici
Et haud recludendo obseratus ostio
Vnquam huius incoepti, licet vel paululum,
Poenituerit, tunc, o dies novissime 1735
Hodie videnda, testis esto tuque, lux
Diurna, me voto precatum serio,
Vt omnis huius facti fama posthuma et -
Si qua est futura - memoria infelix mihi
Inhonesta, foeda, turpis et probrosa sit, 1740

- Aliquisque mandet indelebili libris
 Ineluendae labis acrimonia,
 Me pro libidine annua foedissimam
 Pactum esse mortem supplicio dignum Stygis.
- Gen. Vt ambiguum metum utque certas lacrimas 1745
 Devotio exprimit mihi ista, Marce mi.
- Ser. Tantine sumptuosa constet, o Dii,
 Vorago, uti gazis omnibus preciosius
 Talentum et hoc, quod robore posset aereo
 Fulcire, nutantem licet, Rempublicam, 1750
 Cogamur Orco mancipare, sidere
 Vix dum fodinis erutum faustissimo?
 Nonne ergo dira et virulens specus satis
 Gemmarum avaro abliguristi gutture?
 Ni et hunc pyropum et hunc adamantina faucibus 1755
 Deglutiendo hiscentibus, quicquid fuit
 Gemmarum et inclyti reliquum ornatus, vores?
 O Roma, Roma, quam valenti orbabere,
 Voragine *Curtio* hoc recepto, robore!
- Curt. Iactura parvula unius Quiritis est. 1760
 Ser. Ab unius tamen pietate mascula
 Dependet omnis publicae rei salus.
- Curt. Etsi ipse detrectassem onus hocce, non tamen
 Saluti defuisset urbis Curtius
 Alter, qui idem, quod ego, subiisset impigre. 1765
 Sed hiantibus patens vorago rictibus
 Me praestolatur, absorptura patriam
 Spontaneae devotionis hostiam.
 Valet, Patres, et Deos precemini,
 Vt omne, quicquid imminet patriae mali, 1770
 Infausti, acerbi, luctuosi et asperi
 In me meosque destinatos inferis
 Manes retorqueant et incessabilis
 Furoris ignibus caput istud impetant,
 Piamini devotum amatae patriae. 1775
- Gen. Ah, absit, absit, ut pietatis praemia
 Pensemus execranda ingratitude!
 Quin potius in campis beatis, ubi nemus
 Est lauri odoratum, beatum transigas
 Aevum, perennis laude gloriae, inter hos, 1780
 Qui alios merendo fecerunt memores sui.
- Ser. Et hoc tibi solum repono praemii
 Pro non remuneranda fortitudine, o
 Future maximo Quiritum lumine
 Sol, Marce.

| | | |
|-------|--|------|
| Curt. | sat datum est dudum mihi, Patres; | 1785 |
| | Vos patriae expiandae caeterum date. Et vos valetе prosperis eventibus Gerendo bella et arma pro Republica, Chari <i>Quirites</i> , quotquot agmine confluo Dignati honore me et piamen estis hoc. | 1790 |
| | Quod si quis hunc honorem praereptum sibi Doluerit et sancta aemulatione me Sibi trophaeum surripuisse inviderit, Is defuturas non sibi voragines, Pro alma salute patriae explendas, sciat, | 1795 |
| | Vel Hernicis bellum in patriam crepantibus. Vos, vos quoque innuptae <i>Puellae</i> , sidera Corusca Romae, flosculi tenerrimi, Amore patriae aestuasse Curtium Et non libidine annua testemini. | 1800 |
| | Quin si quis innocentem dente livido Arroserit, meum atque vestrum dedecus, <i>Matronae</i> amatae, non violatae a <i>Curtio</i> Teste innocentia mea, ulciscamini. Vos quoque, mei <i>Cives</i> , valetе prospere | 1805 |
| | Florente, numine optato, Republica; Quae saeviente iactitata turbine Salubrem ab his medelam alumniis postulat, Qui propriam felicitatem et floridae Aetatis annos haud dubitant impendere | 1810 |
| Ch. | Ante, o Gemma Quiritum, Vasti Romulus orbis Detrectabit habenas, Densis vepribus ante | 1815 |
| | Vrbs et sentibus omnis Obducetur, et ante Tybris refluus undas Ex Ponto glomerabit, Quam te, maxime Marce, | 1820 |
| | Venturo obruat aevo Dempta oblivio laude. | |
| Curt. | Nunc ergo, templa celsa et immortalium Delubra Divorum foro imminetia et Sacrata limina ardui Capitoli, | 1825 |
| | Vos patrii Dii, quorum aequo numine Et auspiciis faventibus Mavortia Stat Roma: summe Iuppiter, qui conscios Male sibi territas trisulcis ignibus, Sed innocentes iubare fulgidissimo | 1830 |

Foves diurnae lampadis; tuque inclyte
 Mars, sanguinis nostri autor et vis maxima,
 Et tu, Pater *Quirine*, cuius numine
 Decora virtute arma Romani gerunt;
 Et tu perennibus refulsura ignibus 1835
 Coelestis almae flamma Vestae tradita,
 Vos accolae sacri fluentis Tybridis
 Nymphae et Deus Deorum ingens Patulcie,
 Qui, ut omnibus praeesse ianuis soles,
 Et hisce praefueris Averni ianuis: 1840
 Audite, quae ipse gestiente pectore
 Promo, et precanti numen exorabile
 Advertite: si qua Erinnys - haec enim unica
 Tantum nefas pataverit - virtutis et
 Vim militaris odit fortitudinis, 1845
 Qua Roma defensa est, et ad poenam vocat
 Non promeritam virtutem et arma patriae,
 Communis huic abesto fraus, nec publica
 Acerba fata sentiat infelicitas.
 Ego unus haud segnis valenti dextera 1850
 Nec armis frigidus animam hanc Stygiis Diis
 Regique Averni devoveo et lucem volens
 Aurasque desero; mei cives modo
 Tam dura et aspera fugiant discrimina
 Mei unius remota sortis impetu. 1855
 Hanc spem, quam ovantis incolumisque patriae
 Dant fata, voce denotata oraculi
 Comitem velim sepulchri et imas digredi
 Mecum sub umbras gurgitis Phlegethontii.
 Et o, quibus imperium est animarum, vos Dii 1860
 Manesque Tartarei, Erebus, Phlegethon, Chaos,
 Queis Romula virtus displicet atque ingentia
 Facta invidiam movent, in me omnes unicum
 Effundite irae habenas laxas igneae
 Et, quicquid est acerbitatis improbae; 1865
 In hoc caput, quodcumque atrox parastis et
 Saevum, reflectite a patriae excidio et simul
 Ab exitio meorum: ego solus, ego luam,
 Devota patriae hostia optatissimae.
 Et tu comes mei indubitate funeris, 1870
 Aequande Achillis Hectorisque Troici
 Albisque Rhesi praeferende iugalibus,
 Qui solitus es mecum prius perrumpere
 Acies sarissis praepeditas hostium,
 Nunc mecum ad ima manium delabere 1875
 Theatra, maximo hoc patentia ostio.

Sed cum supremo fata nos fine urgeant
 Morasque ferre longiores haud velint,
 Valeto Roma; vos valete sidera,
 Vale diurni luminis iubar, vale 1880
 Tellus et aequor et pater Tybri, omnium
 Rex fluminum; valeto, quicquid uspiam
 Volubilis nimium et caduci gaudii est,
 Valete deliciae acres campi Martii,
 Fomenta laudis atque fortitudinis. 1885
 Sed vos profundo mancipati Tartaro
 Manes, tenebrosis oberrantes aquis,
 Quae noxio inquinant hoc aëra halitu,
 Salvete complicemque vestrum ferreis
 Et insolitis Stygiis Diis amictibus 1890
 Admittite ultro. non enim canem inferum
 Protractum, ut Hercules, ad ima Tartari
 Delabor antra; sed paterni debitum
 Amoris redditurus umbrarum comes
 Vel vivus esse postulo et cataphractus huic 1895
 Innare cymbae, quam subire cogerer
 Inermis et nudus, peremptus funere.
 Locum date irruenti, et vos, Erinnyes,
 Ultro venienti gratulemini hostiae.
 Sed tu quid, euge, quid repugnans calcitrans, 1900
 Phlegon, opaco suscipiende gurgite?
 Phlegethonta non Phlegon subiet? non hinc, sed hac,
 Phlegon, referenda nobis est victoria:
 Sub hac specu paternus hostis excubat.
 Age advola, irrue, insili, delabere; 1905
 Anima valeto. vos animam Dii inferi
 Accipite, praecipitem accipite, accipite animam.
 Ser. Dii Deaque pelagi, Olympi, Tartari,
 Vah quam subito voragine interclusa humo
 Celabitur specus? specus collabitur? 1910
 Quid, euge, diriges, Genuti?
 Gen. proh Dii!
 Videone vere desiliente Curtio
 Obmutuisse Cerberi os Phlegethontii?
 Ser. Obmutuit, collega, sed nullo tamen
 Perennis obmutescet aevo gloria. 1915
 Euge, euge, cives: quid stupens silentii
 Torpentis admiratio meritissima
 Marci moratur antro absorpti encomia?

Chorus

| | | |
|-----|---|------|
| Ch. | Sidus Europae, iubar ortu Eoo Pulchrius, Martis soboles nec unquam | 1920 |
| | Fama venturis abolenda aristis, MARCE, Romanae pietatis icon Inclyta antiquis et imago factis, Anne collapsio tumulatus antro | |
| | Per superiectae tumulum saburrae Audis optatas patriae loquelas? Audis arguto tibi gratulantum Carmine aeternis merito trophaeis Vota solenni repetenda cantu? | 1925 |
| | Ecquid infernae ferus alni opacos Gurgites rector cito sulcat? ut te Puppe suscepto ad reliquos secundis Transvehat ventis proceres et ipsa Gloria heroas super astra vectos? | 1930 |
| | Num soporatis Furiae colubris Aeneum spectant cataphracti amictum? Atque equi hinnitus comitis stupescunt? Num memor dextrae, rabide, irruentis, Cerbere, Alcidis superaeque lucis | 1935 |
| | Colligis spumosa aconita fauce, Calcitrans vasto sub aquis tumultu Ossa, delapsi metuens sarissam? Nunc enim exangues animae potentis Ausa mirantur iuvenis: nec undas | 1940 |
| | Tantalus captat refugas, stupetque Thessali aspectu rota iactitati, Nec iecur carpunt volucres, nec urnis Belides cassis latices fatigant, Nec ferox tristem Rhadamanthus urnam | 1945 |
| | Ventilat. sed te per opaca gressu Ducet umbrarum iuga concitato Ad beatorum Elysiosque campos, In quibus nati patriae saluti Martias ducunt pariter choreas | 1950 |
| | Seque mirantur animo et trophaeo Posthumo victos, dum Acheronta viva Sprevit infestum soboles Quirini, Non nisi Orpheo celebranda plectro. Plurimas illic glomerabit umbras, Eque frondoso nemore exciebit | 1955 |
| | Voce Musaeus placida Quirites, | 1960 |

Iam suum festo decus omne plausu
 Atque odoratum nemus ambientes:
 Scaevola ambustam dabit igne dextram,
 Cocles aeratas quatiet sarissas, 1965
 Vindices Brutus dabit ille fascas,
 Quintius palmam; nec opus Minuti
 Subtrahes Tauri. statuae perempti
 Signa legati pariter locabunt.
 Nec quot erepta valido Camillus 1970
 Vrbe Gallo ingens retulit trophaea,
 Est negaturus tibi, qui penates
 Peste quassatos patrios levasti
 Sponte anhelanti subiens cavernae.
 Nos quoque infusae memores arenae 1975
Curtium haud condi tumulo sinemus
 Nec datum vasto patiemur Orco
 Esse de vivis penitus remotum.
 Nam licet septus nimia coruscae
 Mole loricae, phaleris equestri 1980
 Mole adornatum per equum locatis
 Sponte delapsus per opaca Ditis
 Antra credaris, tamen astra vivax
 Aura desertis petiit sepulchris,
 Fama et immanem barathri recusans 1985
 Gurgite oplendi veluti remoto
 Obice ad totum penetravit orbem.
 Nam tuam Phoebi Mareotis axe
 Fusca in ambusta recinet saburra
 Laudem, et Indorum stupida Sacerdos 1990
 Mente viventem properasse ad imos
 Audiet manes et equo labentem
 Furva Plutonis subiisse claustra.
 Forte et umbrosis PHILYRAE viretis
 PLISSVS Arctoo fluvius sub axe 1995
 Aut aquis olim Clariis ELYSTER
 Nobilis dignum patria Quiritum
Curtium haud claudi patietur Orco,
 Excitans clari pietate Marci
 PATRIAE audentem laniatae AMOREM; 2000
 Teque Cocyti Stygii pavorem et
 Cerberi rictus nihil aestimantem
 Sponte florentis patriae iuventae
 Secla donasse atque alacrem saluti
 Et rei manes patriae immolasse 2005
 In recens structo repetet theatro,
 Vel Styge absorpto tibi gratulanti,

Dum probrum vosmet fugiendum et aevi
Dedecus vestri patriae abnuentes
Reddere acceptas animas vel usu 2010
Mutuo claustris Erebi coercens
Fama pressabit, tacitis susurris
Arguens mentes timidas nec ipsi
Vtiles vitam patriae elocanti.
Inde demersos Stygios sub amnes, 2015
Vel reluctantes pavidosque, plectro
Nescient Musae memori aut futurae
Tempora aetatis vaga, dum perenne
CVRTIVS vivet Φιλοπάτρις aevum.

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1595 mit dem Titelzusatz „Ex libro septimo primae decadis Livianae“. Zur Erklärung des Titels sei der Beginn des Briefes an den *lector candidus et amans patriae* zitiert: „Quod eodem ordine, quo apud superos utuntur, perrupto scilicet et erratico Planetas nostros Tragicos, candide lector, tibi obtrudamus, Phoebos in primo limine constituto, certas quasdam ob causas factum scias: cum quod reliquos, si non nimium obliquis oculis praeses iste studiorum exciperetur, lucem non detrectaturos auguraremur: tum quod tempore hoc necessario ex affectibus patriae charißima devotißimis, nonnihil autoritatis Solem hunc nostrum mutuatum speraremus. [...] reliquos Sex Planetas Lunam sive Carolum Burgundum, Mercurium sive Constantinopolin, Venerem sive Pyramum et Thisben, Martem sive Zedlicium, Iovem et Saturnum [...]“ (S.10f.).

Durch die Verteilung der Chorlieder scheint eine klare Strukturierung des Stückes in sechs Akte vorgegeben; der besseren Übersichtlichkeit wegen sind diese entsprechend markiert.

Orthographie und Interpunktion wurden überarbeitet und nach Möglichkeit vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *ss* für *ß* sowie 93 *negocii* statt *negotii*, vor 408, 510 *Maximus* statt *Max.*, vor 657 *Pontifex* statt *Pont.*, vor 977 *M.* statt *Marc.* und ebenso abgekürzt *M.*, *Q.*, *L.* im Darstellerverzeichnis; 584 wurde als Sprecherabkürzung *Vox* statt *Vox Orac.* verwendet.

Groß geschrieben wurde - z. T. in Anreden: *Pater* (317, 393, 398), *Mater* (1049, 1093, 1283) sowie 211 *Lictor*, 264 *Consulatui*, 440 *Olympo*, 553 *Olympo*, 572 *Imperio*, vor 657 *Eques*, 827 *Consulatu*, 1710 *Imperio*, 1225 *Mel*, 1456 *Stygis*, 1467 *Sponsa*; groß mit Kapitälchen *Patriae* (92 wie 84) und *Arma* (740, 745, 749, 1147), mit Kapitälchen *Gemitusque* (97) und *et* (1147), mit Kapitälchen statt insgesamt größerer Schriftart *Elyster* (1996) und *Amorem* (2000); groß belassen in Anreden: 122 *Fata*, 582 und 590 *Maxime* (klein aber 1598, 1820 bei Curtius), 1193 *Coeliites*, 1304 *Sponse*, 1308 *Corcula*, 1797 *Puellae*, 1805 *Cives*, 1812 *Gemma*. Klein geschrieben wurde dagegen: 38 *sororibus*, 81 *flos*, 83 *encomium*, 127 *urbis*, 153 *urbis*, 286 *amice*, 300 *numine*, 321 *urbem*, 331 *duce*, 389 *iuvenum*, 389 *senum*, 435 *hecatombae*, 660 *hecatombes*, 691 *urbi*, 846 *iuvenum*, 889 *numina*, vor 1021 *mater*, 1064 *adamantino*, 1071 *sponsa*, 1294 *adamantino*, 1472 *adamantinum*, 1614 *heroa*, 1806 *numine*, 1944 *iuvenis*, 1969 *legati*, 2003 *iuventae* sowie im Darstellerverzeichnis *an.* und *sponsa*.

- 115 *sed eo* statt *sedeo*
- 378 *bustis* statt *iustis*
- 397 *sc. specum Stygiam, inferni barathri ostium*, sonst *ostio* (vgl. 1733)
- 402 *volvut* statt *voluit*
- 571 *oraculum* statt *oraculo*
- 657 *Iuppiter* statt *Iupiter*
- 1154 *voragini* statt *voragine*
- 1247 evtl. *patriae* statt *patria*
- 1382 evtl. *trifauciferi* statt *trifaucifer*
- 1966 *fascas* statt *faces*

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: A1, A8, P2, 8, 8, 10, 15, 35, 35, 43, 46, 71, 77, 95, 112, 123, 127, 130, 132, 133, 138, 155, 156, 164, 165, 185, 187, 199, 208, 236, 249, 257, 268, 273, 280, 283, 299, 358, 372, 389, 390, 405, 415, 453, 492, 509, 518, 521, 524, 541, 542, 553, 658, 660, 661, 664, 676, 680, 695, 697, 700, 700, 709, 710, 712, 723, 728, 731, 736, 738, 752, 754, 760, 764, 766, 798, 815, 816, 825, 837, 841, 850, 856, 895, 918, 952, 956, 968, 969, 970, 1009, 1020, 1022, 1026, 1036, 1048, 1056, 1056, 1077, 1091, 1093, 1094, 1102, 1104, 1150, 1173, 1176, 1176, 1188, 1191, 1191, 1197, 1209, 1211, 1218, 1219, 1220, 1221, 1225, 1231, 1235, 1237, 1247, 1252, 1255, 1257, 1350, 1354, 1356 *Achilles*, 1365, 1398, 1403, 1410, 1416, 1423, 1435, 1454, 1471, 1492, 1502, 1505, 1520, 1528, 1532, 1535, 1540, 1544, 1572, 1578, 1595, 1602, 1662, 1665, 1686, 1720, 1727, 1738, 1740, 1745, 1749, 1755, 1757, 1799, 1809, 1824, 1826, 1838, 1862, 1866, 1867, 1895, 1920, 1985, 2008, 2016 sowie im Titel vor *sive*

'Komma' gestrichen nach: A6 *exempli*, A7 *terrae*, A9 *devolentium*, 1 *Cynthius*, 3 *tyrannidem*, 9 *Donyas*, 15 *unica*, 25 *ille*, 28 *Tigris*, 64 *commodi*, 70 *mille*, 71 *annum*, 79 *tot*, 129 *civesque*, 143 *ferre*, 143 *vastissima*, 177 *vita*, 196 *offerentibus*, 202 *indubitata*, 209 *totam*, 210 *aureae*, 223 *magis*, 228 *violentia*, 229 *velitationibus*, 231 *tam*, 273 *meque*, 415 *magisque*, 444 *euge*, 445 *undique*, 460 *Flamine*, 466 *vernans*, 514 *lugeo*, 522 *nihil*, 524 *deambulatione*, 526 *strues*, 541 *superstite*, 543 *eventibus*, 543 *more*, 568 *immanissimae*, 615 *civibus*, 694 *abstrusiora*, 694 *nunciato*, 695 *Aruspicum*, 713 *edoctum*, 717 *somniis*, 720 *esset*, 780 *adhuc*, 818 *Curti*, 836 *concito*, 837 *Orpheus*, 842 *patriae*, 864 *recordor*, 880 *debitum*, 940 *ignem*, 989

- manaturis*, 1030 *ingratos*, 1030 *optatos*, 1051 *Marce*, 1055 *vel*, 1096 *urgentibus*, 1100 *fau-
stitatem*, 1124 *ambigunt*, 1137 *verum*, 1142 *fasces*, 1142 *fatali*, 1143 *alter*, 1144 *curva*, 1163
aestimant, 1168 *applausu*, 1188 *supplicium*, 1190 *vivo*, 1198 *dirissimo*, 1211 *meo*, 1219 *iur-
is*, 1242 *torminum*, 1253 *indecora*, 1254 *rogos*, 1255 *nomen*, 1260 *moderantibus*, 1299 *erit*,
1310 *me*, 1311 *me*, 1352 *Aegaeon*, 1384 *inviti*, 1412 *imminet*, 1433 *nuptiis*, 1688 *mentis*,
1733 *ostio*, 1800 *annua*, 1890 *Stygiis*, 1890 *Diis*, 1896 *cogerer*, 1997 *nobilis*, 1999 *Marci*,
2001 *teque*
- 'Komma' ergänzt: A20, P6, 111, 115 *Romuli*, 124, 151 *heu*, 164 *et*, 215 *et*, 237, 244 *Dii*, 262,
262, 267 *quoque*, 270 *idipsum*, 305, 306 *axe*, 317, 317, 330, 343, 389, 390, 408 *evolvi*, 434
ira, 439 *et*, 445, 449, 456 *nimum*, 456 *Atropos*, 462 *esse*, 471 *occubuit*, 476, 487, 491, 491,
503, 514 *heu*, 515 *tu*, 528, 536 *quando*, 538, 538, 544 *euge*, 544 *Flamen*, 549 *Pater*, 567, 577
papae, 583, 592, 604 *conferre*, 604 *Apollo*, 611, 621, 672 *qui*, 689, 692 *ito*, 742, 754, 798,
804 *designaverit*, 808 *quis*, 812, 814, 818 *titulo*, 832, 847, 858 *ut*, 860, 863 *tibi*, 864 *ut*, 882,
895, 898, 900, 942, 942, 945, 946, 966 *et*, 973 *euge*, 975 *ecce*, 1012, 1012, 1017, 1017, 1017,
1022 *quam*, 1035 *illico*, 1041, 1046 *Dii*, 1049 *hem*, 1051 *prius*, 1052 *qui*, 1059, 1059, 1061
vae, 1065, 1066, 1066, 1069, 1072, 1074 *et*, 1077, 1085, 1085, 1120, 1120, 1133, 1134 *hor-
ret*, 1134 *en*, 1138, 1138, 1169, 1179 *dempserint*, 1184 *meam*, 1186, 1193 *aut*, 1203, 1208
nae, 1209 *quam*, 1209 *Marce*, 1212 *quare*, 1215 *illa*, 1222 *haeres*, 1222 *obsecro*, 1234, 1234,
1264, 1280, 1286, 1297 *enim*, 1317 *age*, 1318 *hem*, 1319 *ah*, 1320 *vos*, 1320 *famulae*, 1321,
1321, 1359, 1381 *nunc*, 1384 *Tartarum*, 1409 *diutius*, 1421 *hanc*, 1421 *oro*, 1424, 1431,
1443 *nae*, 1443 *nae*, 1463, 1464, 1467 *nae*, 1469, 1471 *quaeso*, 1478, 1510 *quae*, 1521 *con-
creto*, 1553, 1555, 1556 *en*, 1557, 1572 *et*, 1572 *heu*, 1573, 1589, 1597, 1672, 1681, 1684,
1691, 1692 *euge*, 1695 *exit*, 1695 *euge*, 1696 *ut*, 1696 *euge*, 1699 *nae*, 1708 *quanta*, 1708
age, 1722, 1735 *tunc*, 1736 *tuque*, 1737 *diurna*, 1749, 1756, 1757, 1758 *o Roma*, 1769 *vale-
te*, 1770 *mali*, 1776 *ah*, 1776 *absit*, 1780 *hos*, 1797 *vos*, 1802 *dedecus*, 1805, 1805, 1823,
1839, 1839, 1861 *Chaos*, 1865, 1868 *luam*, 1870, 1881, 1882, 1888, 1898 *vos*, 1898 *Erinyes*,
1900 *quid*, 1900 *calcitrans*, 1901, 1902 *hac*, 1911 *quid*, 1911 *euge*, 1916 *euge*, 1919,
1938 *irruentis*, 1971, 1984
- 'Komma' statt 'Punkt': 107, 348, 771, 947, 1098, 1116, 1347, 1460, 1483, 1795 *sciat*, 1832
maxima, 1964, 2007
- 'Komma' statt 'Doppelpunkt': A4 *grassaretur*, A9, 4, 14, 20, 22, 26 *alite*, 30, 32, 39, 46, 48, 55
catervam, 58 *senatu*, 62, 64 *sciatis*, 66, 68, 76, 86 *Turcicus*, 87 *Festinatio*, 90, 92, 95, 100
terrebere, 102, 105, 108, 109, 115, 116, 137, 137, 142 *tenuata*, 147, 153, 157, 158, 159, 160,
167, 171, 172, 179 *Albulae*, 189, 191, 194, 195, 204, 211 *Lictor*, 212, 222, 225, 233, 234,
239, 253 *arceat*, 255, 256, 258, 259, 274, 279, 287, 289, 293, 300, 301, 314, 320, 323, 381,
385, 386, 394, 395, 406, 416, 419, 435 *hostiis*, 439 *iube*, 454, 458, 471 *Pater*, 484, 492, 494,
517, 519, 520, 540 *Flamen*, 544 *accipe*, 545, 557 *solatiis*, 562 *inviolabili*, 571 *oraculo*, 572,
574, 575, 578, 588, 594, 597, 617, 628, 636, 651, 654, 666, 671, 678 *est*, 683, 691, 692 *mini-
ster*, 703, 704, 707, 720, 722, 724, 729, 734 *potest*, 744, 751, 763, 765, 773, 774, 780, 794,
795, 820, 821, 840 *delaberer*, 845, 854, 857, 858 *aliquod*, 866, 869, 874, 876, 893, 901, 909,
912, 916, 926, 927, 933, 938, 939, 941, 958, 959, 962, 967, 973 *successimus*, 980, 994, 996,
997, 1002 *periculum*, 1005 *dilecta*, 1008, 1024, 1026, 1028 *Quirites*, 1031 *omnibus*, 1035
est, 1039 *omnibus*, 1046 *vincar*, 1052 *venerim*, 1055 *alloquar*, 1061 *traxit*, 1078, 1114 *sanci-
unt*, 1122, 1125, 1129, 1132, 1136, 1136, 1149, 1157, 1161, 1164, 1165, 1168, 1173, 1175,
1179 *ambigo*, 1182, 1204, 1228, 1229, 1230, 1236, 1239, 1245, 1248, 1250, 1251, 1269,
1276, 1307, 1311, 1316, 1320 *allevate*, 1326, 1330, 1333, 1338, 1342, 1346, 1349, 1364,
1372, 1378, 1382, 1383, 1414, 1422, 1427, 1429, 1436, 1438, 1439, 1453, 1456, 1493, 1496,
1497, 1506, 1508, 1518, 1523, 1527, 1529, 1549, 1556 *umbris*, 1561 *portenderint*, 1579,
1579, 1581, 1585, 1590, 1591, 1594, 1605, 1608, 1610, 1615, 1633, 1637, 1638, 1640, 1649,
1651, 1667, 1696 *micat*, 1698, 1705, 1711, 1716 *Marce*, 1737 *serio*, 1740 *sit*, 1742, 1748,
1751, 1763, 1765 *alter*, 1769 *Patres*, 1769 *precemini*, 1776 *absit*, 1793, 1808, 1814, 1817,
1819, 1829, 1836, 1838, 1842, 1845, 1846, 1847, 1848, 1868 *solus*, 1878, 1879, 1880, 1883,
1884, 1898 *irruenti*, 1945, 1946, 1947, 1948, 1952, 1959, 1961, 1965, 1966, 1972, 1983,
1990, 1998, 2006, 2012, 2018
- 'Komma' statt 'Strichpunkt': 145, 178 *bibendo*, 275, 702 *denotant*, 709 *dent*, 1051 *mi*, 1079 *diu*,
1240
- 'Komma' statt 'Fragezeichen': 359, 1225 *meum*, 1295
- 'Punkt' gestrichen: 367 *favillam*, 429 *deglutiat*, 1183 *vocibus*
- 'Punkt' ergänzt: 269, 640, 817
- 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': A11, A20, P5, 47, 53, 169, 174, 261, 316, 382, 433, 451, 487, 505,
508, 544, 563, 567, 570, 579, 582, 586, 595, 599, 650, 684, 701, 783, 796, 830, 847, 862,
893, 897, 921, 993, 1028, 1041, 1047, 1049, 1050, 1174, 1232, 1279, 1312, 1320, 1394,
1411, 1421, 1462, 1474, 1543, 1556, 1593, 1639, 1676, 1700, 1906, 1950, 1968, 2014
- 'Punkt' statt 'Komma': 407, 710, 792, 1006
- 'Strichpunkt' gestrichen: 69 *Curtius*, 97 *gemitusque*, 103 *spondeo*, 227 *suggerit*, 662 *aris*, 745
Virtutemque, 749 *Virtutemque*, 998 *amor*, 1070 *mihi*, 1439 *Aeaci*, 1616 *captus*, 1933 *proce-
res*

'Strichpunkt' ergänzt: 350

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 51

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': A13, A18, 18, 43, 84, 85, 88, 94, 150, 176, 207, 258, 332, 339, 352, 379, 383, 398, 440, 501, 535, 577, 603, 665, 682, 706, 781, 815, 850, 861, 883, 944, 961, 998, 1110, 1180, 1279, 1286, 1405, 1418, 1451, 1504, 1557, 1629, 1635, 1642, 1657, 1713, 1731, 1785, 1806, 1831, 1834, 1853, 1865, 1879, 1882, 1893, 1967, 2000

'Strichpunkt' statt 'Komma': 86 *Halitus*, 1049, 1545, 1905

'Doppelpunkt' gestrichen: A3 *esset*, 3 *optimi*, 21 *Turcicus*, 28 *manus*, 49 *densissima*, 52 *vidi*, 61 *lubens*, 67 *Getis*, 74 *vermium*, 141 *orbem*, 152 *damno*, 154 *viscera*, 160 *aurae*, 174 *sibi*, 175 *alveo*, 180 *tamen*, 203 *iussi*, 214 *Consulem*, 271 *tenet*, 288 *eluctarier*, 397 *obdura*, 429 *fatiscat*, 438 *adi*, 441 *caeteri*, 443 *recentia*, 500 *postes*, 548 *omnia*, 564 *sedulo*, 555 *atria*, 565 *sciantque*, 569 *succumbimus*, 580 *fulgure*, 612 *civibus*, 630 *sordibus*, 635 *sententia*, 650 *subsequar*, 667 *constitutus*, 670 *praedicabor*, 677 *acris*, 688 *patres*, 711 *omnibus*, 732 *patriam*, 755 *specus*, 792 *talem*, 910 *multum*, 943 *edax*, 978 *pondera*, 1029 *arceat*, 1043 *salvete*, 1077 *possem*, 1101 *inittier*, 1104 *satisfaciendum*, 1122 *equidem*, 1163 *praeferunt*, 1181 *mihi*, 1201 *laudibus*, 1206 *praeco*, 1238 *flagitet*, 1306 *corda*, 1341 *perrumpant*, 1388 *mancipor*, 1391 *sit*, 1513 *reddat*, 1550 *cernerent*, 1583 *Caspium*, 1621 *noxium*, 1627 *ore*, 1654 *herbas*, 1655 *aristas*, 1698 *amictus*, 1710 *nostro*, 1736 *esto*, 1773 *retorqueant*, 1792 *doluerit*, 1846 *vocat*, 1852 *devoevo*, 1864 *ignae*, 1877 *urgeant*, 1881 *aequor*, 1889 *salvete*, 1954 *choreas*, 1976 *sinemus*, 1992 *manes*, 2013 *timidas*

'Doppelpunkt' ergänzt: 1963

'Fragezeichen' ergänzt: 890

'Fragezeichen' statt 'Punkt': 16, 359, 762, 1121, 1137, 1152 *mi*, 1227, 1296, 1314, 1473, 1942

'Fragezeichen' statt 'Doppelpunkt': 369, 615, 619, 1067, 1901

'Ausrufezeichen' ergänzt: 1685, 1293, 1911

'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 581, 906, 1048, 1327

'Ausrufezeichen' statt 'Doppelpunkt': 838, 1395, 1488, 1541, 1697, 1777

'Ausrufezeichen' statt 'Strichpunkt': 1516

'Ausrufezeichen' statt 'Komma': 1564

'Ausrufezeichen' statt 'Fragezeichen': 1241

'Anführungszeichen' ergänzt: 560ff.

'Gedankenstriche' ergänzt: 1061ff., 1293

'Gedankenstriche' statt 'Klammern': A10f., 403f., 688f., 811, 889f., 1122ff., 1242ff., 1386ff., 1407f., 1541f., 1738f., 1843f.

'Klammer' ergänzt: 1124, 1689

'Klammer' gestrichen: 1066 *sententia*, 1066 *fuit*, 1085 *inextinguibilis*, 1085 *simulaveras*

Als Nachtrag abgedruckt seien die vereinzelt Bemerkungen am Rand des Originaldrucks:

| | |
|------|-----------------------------------|
| 322 | <i>Anno Vrb. cond. 393 Pestis</i> |
| 324 | <i>344 Fames</i> |
| 328 | <i>340 Bellum</i> |
| 330 | <i>355 Intensissimum Frigus</i> |
| 332 | <i>359 Diuturnum Bellum</i> |
| 334 | <i>364 Fames</i> |
| 338 | <i>Exilium laudati civis</i> |
| 341 | <i>365 Direptio a Gallis</i> |
| 347 | <i>370 Seditio intestina</i> |
| 351 | <i>371 Pestis</i> |
| 360 | <i>393 Vorago in medio foro</i> |
| 558 | <i>Lib. I. dec. I.</i> |
| 663 | ὑπέρμετρος |
| 716 | <i>Anno V. C. 264</i> |
| 751 | Σχάζον |
| 983 | Σχάζον |
| 1691 | <i>Trimetri</i> |